101

De' Fatti Italiani
Tomi due

J.xxv. Ro

44380|B|1
Vol I

Sig L2 defective

1095

OPVSCVLA MEDICA

SPARSIM PRIVS EDITA

NVNC DEMVM

COLLECTA AVCTA ET RECVSA

EDIDIT

IO. GEORGIVS ROEDERER

PH. ET MED. DOCT. ARCHIATER REG.

ET MED. P. P. O.

SOCC. PETROP. SVEC. GOETTING. ET CHIRVRG. PARIS.

SOD. COLL. CHIRVRG. PRAESES PRINCIP.

GOETTING. PHYS.



GOETTINGAE

APVD VICTORINVM BOSSIEGELIVM.

CIↃIↃCCLXIII.

71516

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

LECTORI BENEVOLO S.

VICTORINVS BOSSIEGEL.

Voluminis opuſculorum primi quæ ſors fuerit, quæque contentorum conditio, vt paullulum explicentur, & ratio ſuadet, & opportunitas. Operis AVCTORI, medelæ in matrona & ſtirpis ſplendore illuſtri, & morbi vehementia affligentis ipſis illis in regionibus quibus vitam degit, non incelebri, ſuſcipiendæ cauſſa, iter cum inſtituendum, illudque tam loci propter diſtantiam, quam mali diuturnitatem ad menſes eſſet protrahendum: & prelum accelerare, & correcturæ rationem habere, ipſi non licuit.

licuit. Facile quidem opus hoc hærere modo potuiſſet, niſi commoda ſatis prudentique rerum ſeparatione diviſim nunc in lucem emitterentur, quæ temporis ob penuriam latere iunctim debuiſſent. Prior primi quæ hic ſiſtitur tomi pars, propria AVCTORIS comprehendit, antehac ſeorſim edita, nunc demum collecta, aucta recuſaque opuſcula. Poſterior mox priorem inſequutura, eademque pagina progrediens, ſolemnes exhibet eruditiſſimorum quorundam ROEDERERI diſcipulorum diſſertationes, quarum quamvis non auctor, ſuaſor tamen cum fuerit, veritatumque uniuscujusque principia æque ac fundamenta ex ore PRAECEPTORIS illiusque prælectionibus hauſta ſint; non exiguum illas hic promereri locum facillime conſtat, paullo uberior artis ut exſtaret obſtetriciæ commentariolus.

Nil plane honoris inde detrahi volumus Viris cæteroquin Clariſſimis, quorum merita æque ac laudes nulla nec nunc nec in poſterum obſcuratura erit oblivio. Goettingæ menſe April. 1763.

CON-

CONSPECTVS.

I. *De artis obſtetriciæ præſtantia.*

II. *De axi pelvis.*

III. *De temporum in graviditate & partu æſtimatione.*

IV. *De Foetu perfecto.*

V. *De foetu obſervationes.*

VI. *De vi imaginationis in foetum negata.*

VII. *Obſervationum medicarum de partu laborioſo decades duæ.*

VIII.

VIII. *De non damnando uſu perforatorii in paragomphoſi ob capitis molem.*

IX. *Obſervationes de partu laborioſo.*

X. *De ulceribus utero moleſtis.*

XI. *De uteri ſcirrho.*

XII. *Obſervatio de hydrope ovarii.*

I. G. R.

ORATIO

DE

ARTIS OBSTETRICIAE PRAESTANTIA

QVAE OMNINO ERVDITVM DECET

QVIN IMO REQVIRIT

PVBLICE DICTA

QVVM

EXTRAORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AVSPICARETVR

A. D. XVIII. DEC. MDCCLI.

ORATIO
DE
ARTIS OBSTETRICIAE PRAESTANTIA.

Summi rerum Conditoris ſapientia in mundo ordinando perpetua ſapientum eſt meditatio.

Ab omni etiam temporis memoria Philoſophorum fuit conamen, ut ex rerum creatarum contemplatione ſcalas ſibi pararent, per quas intrepido gradu ad ipſum Creatorem adſcenderent. Quare in eo quisquis eruditorum civitate donandus laboret, ut plenum acquirat cognitionis theſaurum, ex quo nunquam deficientes, quibus gloria Creatoris celebretur, opes depromere poſſit.

Celſiori quodam, quibus haec ſunt ſtudia, atque ſacrato in ſolio collocantur. Anxie idem faſtigium petit ſordida illa atque incomta plebs pſeudodoctorum, quos lucri ſacra fames, vel gloriolae praematurum deſiderium in muſea compellit, ut ibidem libris miſere inſudantes ex eruditorum deformatis inventis ſibi ornatum compilare poſſint: quocirca naturae liber, inexhauſtum eruditionis volumen, miſellis iſtis ſemper manet reconditus imo clauſus. Manet ſimul clauſa ſacra illa aedes, ad quam veris ſolum ſapientibus aditus patet. In qua congregati operum divinorum indagatores dulci concentu majeſtatem celebrant Sapientiae ſummae, quae eo ordine, tanta potentia, tanta benignitate cuncta digeſſit; ut quae magis mirentur neſciant, ſed tanto fulgori ferendo impares attoniti obſtupeſcant.

Neque vero hic ſubſiſtit laudabilis ardor. Perfectionibus Deitatis toti quanti perfuſi, temerario quidem auſu, aſt multum commendando, ad ipſas has perfectiones deſideriis ſuis feruntur, nec prius animum componunt, quam illas, quantum humanitatis arcti limites admittunt, fuerint aſſecuti. Qui quidem optime perſpiciunt,

unt,

unt, quod Divinae perfectiones intra proprias contemplationes non contineantur, ſed largo quaſi flumine diffuſae in id confluant, ut creaturarum conditionem, quantum natura ſingularum eſt capax, reddant feliciſſimam.

Haec adeo lex eſt, haec norma ſapientis, ad quam actiones ſuas dirigit. Id curat, id expetit, atque totus in eo eſt, ut ingenium, facultates, labores, ſtudia, vitam denique creaturarum utilitati conſecrata habeantur. Eminet inter illas atque operam ejus ſuo jure poſtulat humanum genus.

Siquidem perfectiſſimus terrae incola, ad divinam imaginem creatus, miſerrime ſeipſum deturpavit, ut, aerumnarum mole fere totus obrutus, eo nunquam non auxilio egeat, quo ſuam munire conſervationem poſſit. Qua ratione aeternam animae felicitatem conſequatur, docet divinorum oraculorum interpres, Philoſophorum facile primus. Corporis integritatem ſuffulcit Medicus, amiſſam reſtituit, non recuperandam demulcet; dignus adeo, qui veri ſapientis titulo ſuperbiat. Univerſa ipſi aperitur natura, in qua Deum inveſtigare, inveſtigatum reperire, repertum celebrare queat. Complexus artificiorum quaquaverſus diſperſorum oculis ipſius ſubjicitur, machina illa ornatiſſima, ſimpliciſſima, quid dico? perfectiſſima, divinum opus, corpus humanum. Ampliſſimus ipſi patet campus, in quem exſpatiari, atque auxiliorum beneficia laborantibus diſtribuere poſſit.

Quem ergo, ſi ſacrorum antiſtitem exceperis, Medico ſapientiorem dixeris? Recedat Medicaſtrorum cohors, nec hanc laudem ſuam faciat: examen indignum, nube ſua caliginem affundens nobili Medicorum ordini, quo minus lucidos ejus radios orbis univerſus conſpiciat. Humile iſtud atque abjectum genus, uti toti ſanantium ordini, ita claſſi ſpeciatim, quae parturientibus ſubvenit, odium atque contemtum contraxit.

O magnam ſeculi noſtri felicitatem! quae clariore luce medendi ſcientiam illuſtrans, per craſſisſimam ignorantiae noctem ita penetrat, ut vel rudiores de Medicae artis dignitate convincat.

Debilis adhucdum jacet, nec caput extollere audet filia ejusdem, quae partui praeeſt, nec tamen ideo viliſſima cenſenda: imo, liceat

liceat fateri, primarius ei locus non foret denegandus, ſi ſumma ejus Praeſtantia perſpecta magis eſſet.

Quamobrem jure laetari videor, quod in hac inſolita mihi ex hoc loco dicendi ratione tale ſe mihi argumentum obtulerit, in quo oratio deeſſe nemini poteſt. Dicendum enim eſt: *De Artis Obſtetriciae Praeſtantia*, *quae omnino eruditum decet*, *quin imo requirit*. Adeſte animis Auditores Honoratiſſimi, & linguis favete.

Sacratiſſimum illud Creatoris effatum: *In dolore paries filios tuos*, nemo ſane veſtrum eſt, qui ignoret, Auditores omnium ordinum ac dignitatum ſplendidiſſimi, honoratiſſimi. Neque vero a prima communis mortalium matris aetate rigorem quicquam imminuit iſtud effatum, poſteritatis ultimos vexaturum. Ab omni quippe tempore inter diriſſimos, qui corpus humanum afficiunt, cruciatus & morbos partus humanus locum habuit, nec primas ei dare laborantium ulla unquam dubitavit. Rara quarundam felicitas, impune liberos edentium, regulam non infringit. Ab omni ſane aevo afflictae parturientes ſupplices auxilium quaeſiverunt. Hinc illa ſuſpiria. Hinc gentilium Dii Nixi, Lucina, Alemone, Partula, Proſa, Poſtverta, Nona, Decima. Hinc anxii clamores, *Juno Lucina fer opem*; *ſerva me obſecro*. Hinc Chriſtianarum copioſa ſuperſtitionis propugnacula. Hinc amuletorum varia genera. Hinc magnum obſtetricum agmen.

Pudor tamen effecit, ut a proprio ſolum ſexu opem flagitarent mulieres. Medici quoque eandem ſibi nimis abjectam reputantes, nec niſi in ultimo diſcrimine vocati, praeter pulverum pellentium, potionum cardiacarum, ſimiliumque praeſcriptionem aliquid egerunt. Solis obſtetricibus partus cura relicta fuit. Quisnam ipſis in remotioribus ſeculis fuerit & honos & meritum hiſtoria fere ſilet. Major ſaltem videtur, quam quidem noſtris. Abhinc vero obſcuriora illa ſecula, quibus ignorantiae torpor integram Europam oppreſſit, viliſſima ſane ad hunc usque diem obſtetricum fuit conditio. Heroinae ignorantiae, ſervae ſuperſtitionum ineptiſſimarum, ex ſordidiſſima plebe natae, a fame & ſiti proſtratae, vitiorum compendia, veneficae & omnis generis ſcelera audiebant: utque placatae ſint, nec damnum inferant, blanditiis & ſtipendii augmentis

 deli-

deliniebantur a mulierculis. Uti ſtupida illa Indorum natio diabolum venerari ſolet, ne ab ejus vexationibus detrimentum capiat. Medici ſcholaſtica doctrina graves, fronte rugoſa incedentes, ſpectabiles manus foedaſſent ſcilicet, ſi aliam corporis partem praeter Carpum, pro pulſu cum ſcreatu tangendo, contrectaſſent, pulveribus ſuis miracula praeſtituri. Chirurgi, a Medicis jam diverſi, faventiorem ac carnifex aſpectum non ſunt experti, formidandos uncos, ut ſacras anchoras, nunquam dimittentes. Similes prorſus Archagati, Medico Graeciae vulnerario, qui ambabus olim manibus a Romanis exceptus ſecando & urendo titulum Medici Carnificis ſibi conciliavit, turpiter, nec immerito, e Romanorum conſortio deturbatus.

Haec illa, ſuperiore quidem aetate, obſtetricantium & obſtetriciae artis facies fuit, Auditores honoratiſſimi! Formidoloſam illam non minus ac deſpiciendam fuiſſe, quis non videt?

Neque vero praeſenti ſeculo variis in regionibus, Germaniae inprimis, comtiori ornatu ſplendet nobiliſſima & utiliſſima ſcientiarum, digna ſane, quae eruditorum ordinem exerceat.

Contemplatur enim partum, actionem muliebris corporis maxime mirandam, caeterarum artificia complectentem. Quid, quaeſo, mirabilius utero? foetus per novem menſes habitaculo, ex ſua ſtructura foetum recipiente, nutriente, expellente? Miraculum certe naturae uterum vocare eruditi viri non dubitarunt. Parva quaedam moles vaſa recondit & motus fibras, tam mirabili nexu, ut cum ipſo foetu creſcente expandatur, atque maximo illum cavo contineat, donec foetus terminum a Creatore praeſcriptum fuerit adeptus, quo ſua ſponte in arctius rurſus ſpatium contracta, ſe ipſam aperit, foetumque in lucem emittit. Haec dum aguntur, tam mirae ſe invicem excipiunt mutationes, quae caeterarum naturae humanae actionum conſiderationis dignitate cedunt nulli. Quae quidem vehementer debito, num a quoquam recte cognoſcantur, niſi ſedulo & indefeſſo labore manum operi admovere ſoleat? Nequit alius percipere ſucceſſivas uteri variationes, quibus, dum increſcit, jam viam ſternit foetui exituro, ipſa ſua expanſione orificium aperiens. Quis ſola cogitatione unquam aſſequetur orificii uterini

varias

varias formas, variam molem? quis hanc cognitionem vanam & inanem pronuntiabit? Apertura ſtili vix capax tempore partus eo usque eſt augenda, vt foetum transmittat: quod ſi impune fieri debeat, non ſimul & ſemel eſt diſtrahenda, ſed novem menſium circuitu ita praeparanda, ut absque noxa porta pandatur. Hujus artificii intimior rimatio obſtetricanti conceditur. De die in diem obſervat, quomodo longa, firma, cartilaginis duritiem aemulans ſubſtantia molleſcat, brevior fiat, diducatur, attenuetur, in ampla labia dehiſcat, facili opera penitus ſejungenda. Attamen frivolum cauſarum ſua ſponte concurrentium minime agnoſcet ortum, ſed Dei Conditoris venerabitur ſapientiam, qui vel leviſſimam particulam ad eundem ſcopum direxit. Parum notanda videri poſſent oſſium illas partes ambientium ſtructura, magnitudo, nexus, ſitus. Digitum vero Dei ubivis reperit, cui mirandam partus actionem obſervare datum eſt. Ne minima lineola, curvatura, eminentia ſine ſapienti conſilio fuit exſtructa. Ne quidem anguli, quos oſſa inter ſe & cum reliquo corpore intercipiunt, ſunt arbitrarii, ſed vel minimum deflectentes partum reddunt difficiliorem. Reliquarum partium ſitus, ille inprimis, quem matrix habet ad oſſa, ita ſapienter formatus eſt, ut ne hilum ab eo aberrare liceat.

Aberrat autem ab hujus notitiae via, qui parturientibus minus frequenter adfuit. Varius matricis ſitus, varia oſſium deformitas, morboſus nexus, ingrata illa impedimenta demum demonſtrant, quam neceſſum ſit, ut partes formae, ſitus, nexus & angulorum ſuetum ordinem ſervent. Parum ad rem facere putares capitis directionem, ni difficillimos partus ex cranii vel minore ſaltem a ſuo axi deviatione notaſſes. Digitis caput in eum reducens expectatione citius illud excipies. Comprime ellipticam, quam oſſa referunt, figuram, omnem dein lapidem move, ut caput prodeat, fruſtra omnino laborabis, redde oſſibus formam, ſua ſponte foetus progredietur.

Poſſent quidem illa ſufficere, ad evincendum non niſi ſolerti obſervatori partus recondita artificia eſſe recluſa: addere vero nonnulla non levioris momenti animus eſt.

Ipſe foetus proprio incremento ad ſuum exitum diſponitur Aquis ſuſpenſus ab initio levior natat atque libere creſcit, mox gravius factum caput per gradus prolabitur, deſcendit, ſufficiens robur adeptum aperturae innititur, hujus reſiſtentiam tollit, oppoſitae parti, quae uteri fundus audit, agendi vim reddit; haec contracta caput ulterius pellit, ita reſiſtendi facultate imminuta major ſit fundi actio, cui viciſſim reſiſtendi ille niſus cedit.

En mirabilem cauſae & effectus nexum, ſe invicem per circulum quaſi producentem.

Vel ſola capitis in infante magnitudo ad ſuum iter relata digna eſt, quae Philoſophi attentionem figat. Suo ingenio indulgens illam aptiſſimam exiſtimaret, quae minima eſt; per minorem quippe aperturam capiti tranſitum concedens. Verumenimvero majorem deprehendit ſagax obſtetricans, totamque oſſium circumferentiam replentem. Ita per ſuccedentes ſolum gradus partes dilatatae impune aperiuntur, nec ullus matricis prolapſus eſt metuendus. Sat magna enim a capitis volumine via ſternitur, quae reliquum corpuſculi facillime in lucem ducit. Minus caput a laborum vehementia truſum molliores partes, oſſibus non reſiſtentibus, celeri motu extra corpus propelleret, atque periculoſas dilacerationis ſtrages ederet.

Quis unquam latici viliori foetum ambienti magnum adminiculum tribueret, niſi frequenti obſervatione edoctus cuneum illum facere ſuis membranis comprehenſum, aperturae uteri intrudendum. tam valido, quam ſimplici mechanismo.

E longinquo etiam auxiliares copiae contrahuntur. Convelluntur abdominis carnes, retinetur ſpiritus, deprimitur transverſum ſeptum, omnes, quotquot artus movent, excitantur muſculi. Fruſtra tamen tot molimina miniſtrarent, ni matrix ea recipere poſſet. Diagonali ergo ex ſepto transverſo & abdominali carne efformatae inhaeret, quae aperturae foetum objiciat.

Sexcentae aliae adhuc in motum cientur machinae, ut homo naſcatur, cunctae ſapienter conflatae. Equidem iuſto ſerius dicendi finem facerem, Auditores Honoratiſſimi, ſi indicandae omnes eſſent. Quis enumerabit multo majorem numerum

muta-

mutationum praecedentium & inſequentium? Quis ſeriem affectionum, quas uteri incrementum in corpore materno producit, nexu tam mirabili, ut nihil ſit ſuperfluum, nihil quod non futuri hominis incolumitatem tueatur? Dum is intra matrem abſconditur, per ſuos canales in funem productos, in placenta diſperſos, matri cum ſit perpetuus, pars eius eſt habendus. Cum in lucem fuerit editus, ſolvendum eſt vinculum. En redit eadem, quae partum abſolvit, uteri contractio! Matrix cavitatem ſuam coarctans placentam comprimit, fibrillas nectentes rumpit, paulo poſt infantem mox excludit. Sanguinem ſimul in vaſis collectum, craſſiorem, vaſculorum debilitate refluendo praepeditum, expellit; in virgineum ſtatum ſe ipſam reducit; atque ſic unico contractionis motu omne officium abſolvit. Hem magnam Creatoris ſapientiam! hem incomparabilem potentiam! quae tantillam particulam tanta vi donavit.

Hujus curatior conſideratio an viro indecens? eoque nomine culpanda? relinquendane illa mulierculis abjectiſſimis, non niſi in fame & ſiti explenda ſapientibus? fugiendum hoc ſtudium erudito, ultra vulgi ſapientiam adſpiranti? Non ita ſaperem.

Accede, qui lineis, angulis, calculis tuis mundum deſcribis; accede, qui rimaris corporum motum, gravitatem, elaterem, vires vivas, mortuas, ſimplices, compoſitas, reſiſtentes, motuum communicationes; accede, qui viſcerum ſcrutatione delectaris; accede, qui animati corporis actiones indagas; accede, qui ſtupenda Creatoris opera miraris: accedatis omnes ad gravidam, parturientem & puerperam, quod ingenium veſtrum exerceat copioſe deprehendetis. Diſcedentes rerum admiratione perfuſi, ſcientiam obſtetricalem ſummis encomiis ornabitis, Mathematico, Phyſico, Anatomico, Phyſiologo, Philoſopho digniſſimam.

Non puduit ergo hanc artem exercuiſſe celeberrimum RUYSCHIUM, magnum Anatomiae lumen. Non puduit Italos illos, Nicolaum MASSAM, non COLUMBUM, celebratiſſimi nomini Anatomicos. Non DEVENTERUM, Bataviae Medicum doctiſſi-

mum. Non HOORNIUM, Regis olim Sueciae Archiatrum. Non HEISTERUM, Medicum manu non minus, quam ſcientia praeclarum. Non multos Germaniae, Angliae, Bataviae, Italiae nobiliſſimos Medicos. Quid? Non alienum a MANINGHAMO, Equite Anglo, eſt praeſtantiſſimum ſtudium.

Reſtant tamen & alia, quae noſtram artem quam maxime commendant. Repetamus obſcuriora illa ſecula, quibus haec ars deſuper habita plebejarum faeci unice fuit commiſſa, & Medici non niſi obſtetricum oculis viderunt. Quanta caligo ferit oculos? Quantum fabularum inconditum murmur aures exſurdat? Quantam nugae ſummorum Medicorum ſcriptis umbram obducunt? Evolve venerandum Hippocratem, confer Hippocratem morborum obſervatorem cum Hippocrate muliebria docente, ſibi ſimilem non reperies. Divus in illis naturae interpres oracula dixit nunquam vacillantia; in his riſum movet puerilia ludens. Quam belle aurei Aphorismi diſtinguuntur pulchro colore matris, marem quae concepit; extenuata mamma dextra, cum marem abortiet; foetu maſculo in dextra uteri parte haerente; ſigno foecunditatis ex odore aromatum, & ſimilibus. Hujusmodi commenta effatis ſalutaribus non miſcuiſſet optimus ſenex, ſi, ut morbis reliquis, ſic partui ſuam & oculorum & manuum operam attuliſſet. Haec tamen cum ſequentium aetatum ineptiis comparata ſunt Hippocratica.

Meluſinae & Don Quixoti fabellae non ita delirant, ac anilia iſta ſomnia. En inquietus uterus! quam alacriter per corpus divagatur, nunc cordi inſidet, nunc in faucibus haeret, tandem appoſito naribus ingrato odore in nidum retrocedit. En errabunda illa mola! per conclave diſcurrit, in angulis circumvolitat, priſtinum habitaculum trepida quaerit; interim occupatae amitae foramen ſollicite claudunt, atque beſtiolam ſcopis & furcis crudeles trucidant. Nonne ſubtile eſt inventum, quo maribus natis longa relinquitur funiculi portio, femellis brevior? Illud certe magni olim Phyſiologi explicationem meruit. Noſtro ſeculo, cum ſana virorum obſervatio meliora docuit, non niſi plebis colloquia iſtae nugae occupant.

Sed

Sed tranſeo ad potiora. Neque enim affirmare erubeſco, Auditores Splendidiſſimi, Obſtetriciam alteri Medicinae, quae forenſis dicitur, parti lumen affundere utiliſſimum. Illa eſt, quae recta judicia profert de virginitate, graviditate, abortu facto, metuendo, praecavendo, de foetu occiſo, de partu emiſſo, de foecunditate & ſterilitate, partus praematuri vitalitate, tempore partus atque ſexcentis aliis. Nec deſunt exempla frequentiſſima enatorum a neglecta hac arte malorum. Quot foetus una cum matribus funeſto, ehem! ſupplicio, ex obſtetricum, matris graviditatem negantium, ignorantia fuerunt affecti? ſervatos eos fuiſſe quis dubitat, ſi ſagax Medicus matrem explorare nec ignoraſſet, nec erubuiſſet? Quoties peperit puella, ab obſtetrice paulo ante intacta virgo laudata? Imo ipſa divortia, ob deſuper habitam Obſtetriciam, facta legimus. Duplicem caſum Bohnius enarrat, quo, obſtetricibus uxori impotentiae ignominiam inurentibus, vinculum iugale fuit ſolutum, cum tamen ſecundis nuptiis clauſtrum reſeraverit maritus. Taceo nunc Juris Conſultorum nimis benigna de legitima ſucceſſione judicia, ne ultra crepidam ſapere velle videar.

Redeo potius ad Medica, praecipuam, imo divinam, Obſtetriciae dignitatem conſideraturus. Etenim minime ſibi in grata illa atque mentem oblectanti phaenomenorum contemplatione ſatisfacit, quibus artibus irregularia alia, feminas atrociter vexantia, debellanda ſint docet.

Maſculorum quidem nunquam non praecipuus fuit & labor & ſtudium, ut amabili ſexui officia ſua praeſtarent. Debilior etiam haec generis humani portio nil unquam neglexit, quo commoda ſua atque voluptates nutriret. Interim ſub crudeliſſimi hoſtis acceſſu amatum ſexum illi fugerunt, hae vero fugarunt. Quaſi vero minoris momenti mala eſſent, quae hominis generatio excitat, innumera cum ſint & atrociſſima. Magnus utique morborum eſt complexus, qui univerſum mortalium genus depopulatur, communium hoſtium non minus vim ſentit ſequior ſexus, ac nobilior, cum ſuis tamen & propriis decernit iisque crudeliſſimis.

Phalaridis aemulus & Scytha tetrior commovetur, cum clangoſi parturientis ejulatus auras penetrant, cum frons ſudat, facies ardet, oculi lacrymant, ſpiritus haeret, pedes tremunt. Quaenam illa Hircaniae fera, quam non miſereat per plures dies aerumnas paſſae, nec tamen matris factae? Quam deplorandus aſpectus tenellae in ſuo ſanguine natantis! quam dirus a convulſionum inordinatis motibus diſtortae! quam horridus, cum infans ex corpore pendet immotus!

Verum praecavet haec mala peritus Obſtetricans, minuit, imo tollit; nec tamen nauſeoſam medicaminum farraginem affert, nec partium aduſtione, inciſione, reſectione dolores movet; ſed ſalutaris angelus advolat, mollem manum applicat, impedimenta removet, foetum in lucem protrahit, matri & infanti vitam ſervat, ſanitatem reddit.

Quem, quaeſo! ejusmodi viro ſexui femineo ſalubriorem & magis neceſſarium exiſtimaveris? cujusnam artem hujus anteponendam duxeris? age, oſtendas ſimpliciorem, dulciorem, utiliorem, & magnus eris Apollo. Sit ſua laus Medicinae, ſit Chirurgiae honos, Obſtetriciae tamen nomen haud obſcurum manet.

Triſtis Medico neceſſitas fere non niſi minus grata relinquit; absque ferro inutilis plerumque ſpectator eſt Chirurgus. Obſtetricans leni manus contrectatione plurima, ſi non omnia, perficit. Alte etiam criſtas extollit, quod ipſi liceat unica opera duplicem ſaepius vitam ſervare. Marito dulcem reddit conjugem, proli matrem, matri laborum mercedem, univerſae familiae ſolamen. Ex ejus manu regnorum pendent auſpicia. Ipſius peritia Imperatorem tradit, quem ignorantia immolaſſet. Haec tamen noſtri ſolum aevi ſunt gaudia & praerogativae. Suo pudore, obſtetricum ſtupiditate, ac negligentia Medicorum perierunt mulierum myriades, atque, proh dolor! adhucdum pereunt.

Ea enim humanae mentis labilis eſt conditio, ut virtutem quaerens nubem pro Junone amplectatur. Sequior praecipue ſexus ſemel

mel hauſtis praejudiciis non facile renuntians incertos gradus movere didicit. Hinc non immutato more ad praeſens uſque ſeculum virorum in partu miniſterium eſt averſatus.

Sua quidem ſponte eueniebat, ut ante jacta Medicinae fundamenta, cum viri de corpore humano non magis ſaperent, ac feminae, ſibi ſolum ſumerent hoc opus. Eodem vero jure, quo reliqua aerumnarum copia Medicos progenuit, & qui partum comitantur cruciatus ac morbi, Obſtetricantes producere debuiſſent. Praevaluit tamen conſuetudo: imo cum ſapienti olim conſilio & lege Athenarum Areopagus ſanciviſſet, ut viri unice muliebrium morborum & partus curam in ſe, feminis excluſis, ſuſciperent; feminarum univerſus coetus precibus ſuis judices perturbavit, donec priſtinus mos reſtitueretur.

Accedit obſtetricum & ſordida lucri cupido & ignorantiae velum. Imperii ſui lapſum ſubodorantes, ſi Medici in meſſem ſuam falcem immittant, omnibus loquacitatis armis contra eosdem pugnant, immiſericordem eorum duritiem exaggerantes, atque ſuae opis depraedicatione illorum auxilia ſuperflua eſſe perſuadentes. Pertinaciae autem lugendam poenam dant atque dederunt matres. Cuncta Obſtetriciae praecepta forent tradenda, ſi, qui Obſtetricum ſint errores, eſſet exponendum. Pauci ſaltem Obſtetriciae a viro, imo ab erudito, excultae neceſſitatem indubiam ſiſtent.

Nota veritas, ſine laboribus nullum eſſe partum, ſub primo dolorum acceſſu, gravidam edendos eſſe nixus monet; exhortationem dein addit obſtetrix: ſic plerumque per plures dies variis laboribus agitatur parturiens, magno cum ſanitatis & virium diſpendio. Cum potius Obſtetricans dolores veros a ſpuriis illis ſejungens non niſi quietem, magno gravidae ſolatio, imperat.

Famelicum lucri deſiderium in ipſo partu obſtetricis manus ſemper laborioſas circumagit, quo melius laudem extollere poſſit auxilii, parturienti & noxii & moleſti.

Levius tamen & humile ingenium ſimiles errores, a peritiſſimis obſtetricum frequentiſſime commiſſos, & cognoſcere & evitare poſſet.

Multo vero pejus parturientis res aguntur, ſi perverſus, vel uteri, vel foetus ſitus accedat. Hujus & cognitio & cura tantae indaginis negotium eſt, ut vix tam felicia obſtetricum deprehendas ingenia, quae illi addiſcendo paria ſint. Multum ſane exercet virum eruditum, Anatomes probe gnarum, omnem meditationem in hoc ſtudium convertentem. Nec unquam mihi perſuaderi patiar, eidem ſufficere feminam, negotiis domeſticis occupatam, aetate provectiorem, ultra ſenſus non cogitantem. Dubia ſedet, nihil agit, loquaci ſolamine tempus terit, naturae opem expectat, ſuam operam jactitat, nihil agens magnis auxiliorum negotiis implicita videtur, donec parturientis labia tremant, extrema frigeant, ſenſusque deficiant. Acceſſitus dein Medicus potione cardiaca mortem arcere nequit, & ſic parturiens ſine ſua culpa occumbit. Fauſtiori interdum omine, ab efficacibus naturae viribus, infans expellitur, aſt debilis relinquitur mater, poſt longum temporis intervallum vires nondum recuperat, aerumnoſam vitam trahit; imo dilacerata, quae certis periodis munda natura egerere ſolet, retinere nequit, ſed ſemper contaminata ingrata fit marito, ſibi aliisque moleſta.

Quid de truculentis uncis dicam? Antequam doctiores Medici hanc ſcientiam exornaverunt, obſtetrices non minus ac Chirurgi artificiorum culmen ſe conſcendiſſe putarunt, cum ferreum inſtrumentum injicere eſſent auſi. Quandocunque enim longum temporis intervallum omnem a natura petendam ſpem eluſit, unanimi ore extrahendus foetus cenſebatur. Nec brevior methodus unco innotuit. Quo quidem armatus Chirurgus ad parturientem acceſſit, nulla nec cauſae, nec ſitus ratione habita: mox temerario jactu intromiſit, ad primam obviam particulam firmavit, forti manubrio traxit, viribusque deficientibus ſocium junxit. Egregium facinus edidit, cum ſaucias foetus partes protraxit: cum vero dilacerata mater periit, magno auſu ſe excidiſſe putavit.

Non

Non morabor abortum, ſanguinis profluvia & ſecundas. Taedet vexationum meminiſſe, quas afflictae parturientes patiuntur, cum ſagaciores utile Obſtetriciae ſtudium alta fronte deſpiciunt. Audio tamen inſuſurrantem indocilem obſtetricum turbam: noſtrae non ſunt iſtae culpae, morbi vehementia operam noſtram ſubjugavit, ab Obſtetricante nulla ratione refraenanda.

Atat diſſipent hoc murmur tam praeclara Obſtetricantium edita ſpecimina, cauſam dicant tot parturientium fortunatiores, quas eorum operam adhibuiſſe non poenitet. Anilis ille pudor jam dudum apud eas exolevit. Optima imo ſpes affulget brevi fore, ut antiqua cedat rationi conſuetudo. Jam enim plurimae meridionalis Europae laborantes non reformidant Obſtetricantes. Jam maximus ipſis honos eſt apud principes: adeo ut Galliae Rex, Magnus LVDOVICUS, CLEMENTEM, domus regiae Obſtetricantem nobilitatis & juribus & titulis condecoraverit. Quid vero remotiora dico, cum praeſto ſint domeſtica? Poſt Sapientiſſimi Monarcharum auctoritatem, majorem quaerere nefas eſt.

Etenim huic Academiae Obſtetriciae Magiſtrum conſtitui voluit REX NOSTER POTENTISSIMUS, CLEMENTISSIMUS; utile duxit CURATOR PERSPICACISSIMUS; fauſto omine accepit COETUS ERUDITORUM LECTISSIMUS.

Jubilat nunc Obſtetricia tantis praeſidiis tuta, nec niſi de ſuo interprete timet.

Mihi enim id muneris eſt mandatum in Tantorum Virorum conſortio, ad quorum pedes ſedere honori mihi duco. Non minus etiam Viri Perilluſtres, Ampliſſimi & Celeberrimi eo animo Vobis me jungo, ut ex Veſtra conſuetudine proficiam, quam reipublicae bono inſerviam. Labore aſſiduo, & veneratione debita, ſpero me conſecuturum, ut inter Veſtros haberi non plane indignus cenſear.

Vos Generoſiſſimi atque Nobiliſſimi Commilitones, Studioſorum lectiſſimi! quibus non niſi Tantorum Nominum oracula audire

re uſu venit, recipitote me ut partis ſtudiorum comitem, Veſtro commodo totum dicatum. Quidquid indefeſſus labor & curata in obſervando diligentia efficere potuerunt, Vobis offero. Ulterius proficiendi Vobisque inſerviendi continuum ſtimulum Veſtra approbatio animo ſubdet. Salvete, favete, atque unitis viribus mecum laborate, quo Dei Omnipotentis celebretur gloria, aegrotantium ſaluti provideatur, atque huius Celebritatis fraganti odore univerſus terrarum orbis olim perfundatur.

DE

AXI PELVIS

PROGRAMMA

QVO

IN AGGRESSIONE MVNERIS PROFESSORIS MEDICINAE EXTRAORDINARII

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

OBEVNDI

AD ORATIONEM BENEVOLE AVDIENDAM

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

ET SIMVL LECTIONES SVAS

DENVO INDICIT

I. G. R.

DE AXI PELVIS PROGRAMMA.

§. I.

Quo utiliorem partium corporis humani cognitionem acquiramus, partes ejus examinaſſe & deſcripſiſſe non ſufficit; niſi quidem nexus ſimul & ſitus, anguli atque diſtantiae notentur.

§. II.

Ab antiquioribus Anatomicis hoc indagationis momentum fere neglectum eſt, & recentiores demum curatius in id inquirere coeperunt. Nusquam tamen ſitum, quem Pelvis oſſea habet, pro dignitate determinatum reperio. Sibi & Anatomiae & Obſtetriciae ſcriptores fere ſatisfeciſſe opinati ſunt, ſi Pelvim inferiorem Trunci partem, ſeu fundamentum conſtituere docuerint.

§. III.

DEVENTERUS quidem hanc materiam tetigit, *a)* quam uberius expoſuit Commentator Mr. d' ABLAINCOURT, *b)* atque magis illuſtravit MULLERUS *c)*. Horum tamen prolata nec exactiori examini reſpondent, nec ſatis tuto ad praxin applicari poſſunt. Quod cum ita ſit, me in hujus argumenti pleniore tractatione operam perdere non arbitror.

a) paſſim in Operat. Chirurg. novum lumen obſtetricantibus exhibentibus. Lugd. Batav. 1701. & 1733.


b) Obſervations importantes ſur le manuel des Accouchemens. Paris 1734.

c) Differt. Caſus rariſſimus Uteri in Partu rupti. Baſil. 1745.

§. IV.

Fingatur femina virgo, ſitu corporis erecto, ad horizontem perpendiculari. Demittantur perpendicula a medio arcu oſſium Pubis & ab extremo oſſis Coccygis, ſuper idem planum horizontale: erit altitudinis differentia, qua os Coccygis ab horizonte remotius eſt, ac arcus oſſium Pubis, pollex pariſinus cum dimidio. Porro filo quodam diſtantia ab ejusdem arcus medio ad oſſis Coccygis apicem capiatur: erit quinque pollicum pariſinorum.

Quoniam carnes protuberant, haec diſtantia major quidem eſt vera; tantum tamen abeſt, ut calculi vim infringat, ut potius adaugeat: eo plurium enim graduum ſit angulus demonſtrandus, quo brevior eſt haec linea. Quamvis etiam in variis ſubjectis varient hae dimenſiones, ſolet tamen ultra pollicem altius eſſe os Coccygis, quam arcus oſſium Pubis.



§. V.

Fiat Triangulum Rectangulum, cujus

Hypothenuſa AB = 5. 2 = 10.

Cathetus BC = 1½. 2 = 3. Inveniatur angulus x. Dico. Uti AB ad ſinum totum, ita BC ad ſinum anguli x. i. e.

10: 10000000 = 3: 3000000.

ſed 3000000 = ſinui anguli 17° . 18′.

Quodſi

Quodſi vero diſtantiam arcus oſſium Pubis ab extremo oſſis Coccygis, carnibus ſublatis, aſſumamus quatuor pollicum cum dimidio: erit

Hypothenuſa AB = 9. adeoque.

9: 10000000 = 3: 3333333.

ſed 3333333 = ſin. ang. 18°. 26′.

Sumatur numerus medius 18. aſſeri poteſt

angulum x. eſſe = 18°;

ejusque complementum y = 72°.

§. VI.

Dividatur porro linea AB in duas partes aequales, atque in punctum diviſionis cadat perpendiculum: dico, hoc perpendiculum eſſe Axin Pelvis. Linea enim AB eſt diſtantia ab arcu oſſium Pubis ad extremum oſſis Coccygis; hinc dictum punctum aeque diſtat ab arcu oſſium Pubis, ac ab extremo oſſis Coccygis. Cum etiam dicta linea aeque diſtet ab uno oſſium Iſchii, ac ab altero, idem valeat de dicto puncto neceſſe eſt. Haberi adeo poteſt pro centro inferioris aperturae Pelvis. Quoniam autem Axin vocamus lineam imaginariam per corporis centrum ductam, ſequitur omnino, ut dicta linea perpendicularis hujus inferioris aperturae Axis exiſtat.

§. VII.

Ulterius fingatur linea AB in utrumque latus eodem ſemper ad x angulo in planum continuari, docebit inſpectio anatomica, marginem cavitatis Pelvis huic plano ad rectum, vel ſaltem eundem ubivis angulum, inſiſtentem aſſumi poſſe. Hinc dicta perpendicularis DE ubivis aequali modo a pariete Pelvis diſtat, adeoque medium Pelvis tranſit: quin ergo ejusdem ſit Axis minime eſt dubitandum.

Majorem cavitatis Pelvis altitudinem hic non intelligo, quam quae eſt ſymphyſeos oſſium Pubis. Reliqua portio, quia integram circumferentiam non abſolvit, huc non facit.

§. VIII.

Quodſi vero hic Axis verſus horizontem continuatur ſ. lineam AC horizonti parallelam, enaſcitur Triangulum ADF, cujus angulus ad D eſt rectus, adeoque angulus ad F, complementum anguli x, aequalis ergo 72°.

§. IX.

Liceat nunc ex dictis ſequentia elicere Corollaria.

I. Continuatus Axis Pelvis in horizontem non cadit perpendiculus, ſed retrorſum angulo circiter 72°.

Hanc directionem indicat DEVENTERUS *l. c. C. III. p. 21. verbis. „Cavitas Pelvis longitudine ſua non ſecundum longitudinem ſpi- „nae dorſi tendit, ſed ab imo oblique anticam verſus aſcenden- „do progreditur, quaſi per eam umbilicum ventris attingere ve- lis.„ Miror ergo, quod Mr. d'* ABLAINCOURT *in fig. 2.* DEVENTERI *Axin Pelvis in horizontem perpendicularem pingat.* JOHN BURTON *in new Syſtem of Midwifry. London. 1751. dictam quidem directionem depingit Tab. II. fig. 2. In deſcriptione autem ne verbulo quidem ejusdem mentionem facit.* W. SMELLIE *obſcure eandem indicat in Treat. of Midwifry London. 1752. L. I. C. I. S. II. p. 77. verbis „whan the body of a „woman is reclined backwards, or talf ſitting, half lying, the „brim of the pelvis is horizontal: &c. cf. etiam Seh of anatomical Tables. T. II.*

§. X.

II. Pelvis Axis oſſi Coccygis non inſiſtit.

DEVENTERUS, *& qui eum ſequuntur, Axin Pelvis oſſi Coccygis inſiſtere aſſeruerunt. Quodſi vero haec directio locum haberet, Partus Naturalis nunquam poſſibilis eſſet. Cum enim Axis ſit linea, quam in egreſſu ſequitur foetus, medium Cranii medio Coccygis reſponderet. Sit autem Cranii diameter a fronte ad occiput quatuor pollicum, duo ſaltem Cranii pollices Coccygi &*

Sa-

Sacro oſſi inniterentur. Neque vero ad duorum pollicum diſtantiam reprimi Coccyx poteſt, ſed maxime ad unius; hinc minimum Cranii pollex oſſi Sacro inniteretur, per conſequens Partus difficilis oriretur.

Facile etiam perſpicitur contradictio, quam duae propoſitiones involvunt: „Axis Pelvis in horizontem eſt perpendicularis.„ & „Axis Pelvis oſſi Coccygis inſiſtit.„ Quodſi enim Coccygi inſiſteret, multo acutiorem cum horizonte interciperet angulum, quam quidem eſt demonſtratus.

§. XI.

III. Pelvis Axis ſuperne continuatus verſus umbilicum gravidae circiter progreditur.

Apprime hoc animadvertit laudatus DEVENTER. *f.* 2. & *Cap. X. Illa tamen figura* 2. *a natura multum differt. Optime contra ſe habet f.* 9, *quippe quae foetum verum Pelvis Axin ſequentem offert.*

Idem confirmat SMELLIE *l. c. additque ultimo graviditatis menſe eundem axin medium ſpatium inter umbilicum & ſcrobiculum cordis tranſire.*

§. XII.

Cum virginis orificium uterinum tactu exploratur, verſus poſteriora verſum deprehenditur. Quotiescunque etiam in Partu Naturali directio, quam dictum orificium & foetus egreſſurus ſequuntur, exactius obſervatur, illa etiam verſus poſteriora protenſa conſpicitur. Optimo igitur omine Uterus & foetus in Axi Pelvis haerent, ſive in Partu maxime Naturali Pelvis, Uteri & Foetus Axes coincidunt.

In cadavere ſupino Uteri fundus ob gravitatem retrorſum cadit ſuper inteſtinum rectum, quare Uterus paulo antrorſum inclinare videtur; vti cadaver deſcribens Magnus WINSLOWIVS *aſſerit, in Expoſit. Anat. P. IV. n°. 591.*

JAC.

§. VIII.

Quodſi vero hic Axis verſus horizontem continuatur ſ. lineam AC horizonti parallelam, enaſcitur Triangulum ADF, cujus angulus ad D eſt rectus, adeoque angulus ad F, complementum anguli x, aequalis ergo 72°.

§. IX.

Liceat nunc ex dictis ſequentia elicere Corollaria.

I. Continuatus Axis Pelvis in horizontem non cadit perpendiculus, ſed retrorſum angulo circiter 72°.

Hanc directionem indicat DEVENTERUS *l. c. C. III. p. 21. verbis. „Cavitas Pelvis longitudine ſua non ſecundum longitudinem ſpi-„nae dorſi tendit, ſed ab imo oblique anticam verſus aſcenden-„do progreditur, quaſi per eam umbilicum ventris attingere velis.„ Miror ergo, quod Mr. d'* ABLAINCOURT *in fig. 2.* DEVENTERI *Axin Pelvis in horizontem perpendicularem pingat.* JOHN BURTON *in new Syſtem of Midwifry. London. 1751. dictam quidem directionem depingit Tab. II. fig. 2. In deſcriptione autem ne verbulo quidem ejusdem mentionem facit.* W. SMELLIE *obſcure eandem indicat in Treat. of Midwifry London. 1752. L. I. C. I. S. II. p. 77. verbis „whan the body of a „woman is reclined backwards, or talf ſitting, half lying, the „brim of the pelvis is horizontal. &c. cf. etiam Seb of anatomical Tables. T. II.*

§. X.

II. Pelvis Axis oſſi Coccygis non inſiſtit.

DEVENTERUS, *& qui eum ſequuntur, Axin Pelvis oſſi Coccygis inſiſtere aſſeruerunt. Quodſi vero haec directio locum haberet, Partus Naturalis nunquam poſſibilis eſſet. Cum enim Axis ſit linea, quam in egreſſu ſequitur foetus, medium Cranii medio Coccygis reſponderet. Sit autem Cranii diameter a fronte ad occiput quatuor pollicum, duo ſaltem Cranii pollices Coccygi & Sa-*

Sacro oſſi inniterentur. Neque vero ad duorum pollicum diſtantiam reprimi Coccyx poteſt, ſed maxime ad unius; hinc minimum Cranii pollex oſſi Sacro inniteretur, per conſequens Partus difficilis oriretur.

Facile etiam perſpicitur contradictio, quam duae propoſitiones involvunt: „Axis Pelvis in horizontem eſt perpendicularis.„ & „Axis Pelvis oſſi Coccygis inſiſtit.„ Quodſi enim Coccygi inſiſteret, multo acutiorem cum horizonte interciperet angulum, quam quidem eſt demonſtratus.

§. XI.

III. Pelvis Axis ſuperne continuatus verſus umbilicum gravidae circiter progreditur.

Apprime hoc animadvertit laudatus DEVENTER. *f. 2. & Cap. X. Illa tamen figura 2. a natura multum differt. Optime contra ſe habet f. 9, quippe quae foetum verum Pelvis Axin ſequentem offert.*

Idem confirmat SMELLIE *l. c. additque ultimo graviditatis menſe eundem axin medium ſpatium inter umbilicum & ſcrobiculum cordis tranſire.*

§. XII.

Cum virginis orificium uterinum tactu exploratur, verſus poſteriora verſum deprehenditur. Quotiescunque etiam in Partu Naturali directio, quam dictum orificium & foetus egreſſurus ſequuntur, exactius obſervatur, illa etiam verſus poſteriora protenſa conſpicitur. Optimo igitur omine Uterus & foetus in Axi Pelvis haerent, ſive in Partu maxime Naturali Pelvis, Uteri & Foetus Axes coincidunt.

In cadavere ſupino Uteri fundus ob gravitatem retrorſum cadit ſuper inteſtinum rectum, quare Uterus paulo antrorſum inclinare videtur; vti cadaver deſcribens Magnus WINSLOWIVS *aſſerit, in Expoſit. Anat. P. IV. n°. 591.*

JAC.

JAC. DENYS *in Verhandelingen over het ampt der Vroed-vrouwen. Leyden. 1733. paſſim notat, uteri orificium primis graviditatis menſibus verſus inteſtinum rectum dirigi. e.g. Cap. VIII. p. 165.*
JOS. ONYMOS *in Diſſ. de naturali foetus in utero materno ſitu. Lugd. Bat. a. 1743. (Ext. in Collect. Haller. T. V. p. 319. ſqq.) §. 3. obliquum uterum gravidum verſus abdomen fieri notat propter minorem ibi & majorem ad vertebras lumbares reſiſtentiam, cum antea parallelus fuerit ad ſpinam, axi nempe in horizontem perpendiculari.*

Eandem veritatem confuſe indicat FIELDING OULD *midwifry. Lond. 1745. P. I. p. 9. verbis „The bottom of the womb is turned „towards the os pubis, and its inner neck towards the os ſa„crum, making an obtuſe angle with the vagina. - Uterum gravidum axin pelvis ſequi obſcure docet* BURTON *§. 10. p. 24. coll. Tab. II. f. X. Confirmat* SMELLIE *l. c. C. II. S. II. p. 102. & Set of anatomical Tables, paſſim.*

G. S. SCHLICHT Unterricht vor Hebammen. p. 27. C. IV. „findet „ſich die Fontanelle mehr gegen der Frauen Rücken, als gegen „die Schambeine gekehrt, ſo ſteht der Kopf recht in der Geburt, „und iſt eine leichte und geſchwinde Niederkunft zu hoffen.

§. XIII.

Differens autem Vaginae eſt ratio, cujus quidem Axis cum Axi Pelvis minime convenit, ſed antrorſum projicitur. Ipſius enim orificium a centro aperturae Pelvis, ſeu puncto D, ſi linea A B eſt 5. pollicum, diſtat 1 ⁰. 5′. ab arcu vero Pubis 1 ⁰. 1′.

Hoc curate obſervans animadvertensque, ut ſolet, Perilluſtris atque Generoſus ALBERTVS V. HALLER *rectiſſime monuit; Prael. P. V. T. II. p. 15. „Vaginae ſitum primum eſſe declivem, de„inde paene transverſalem, ut tamen modice deſcendat. & p. „27. „lineam rectam per Uteri Axin cum vaginae Axi conti„nuatam alioquin ducere impoſſibile eſſe, cum Uterus etiam „cum optima Vagina, angulum intercipiat.„ In praeceptoris ſententiam merito etiam tranſit Cl.* WINCKLER *Diſp. Inaug.*

de

de ſitu Uteri Obliquo §. 4. Eandem veritatem & DEVENTERUS *jam habuit cognitam L. I. C. III. Angulum etiam vaginae cum utero notant* OULD *l. c. p. 9.* BURTON *p. 11. qui obtuſum eſſe ait & ex nimis aucto ſterilitatem naſci putat. Male contra Vaginae directio deſcribitur a* CORN. CELSO *de Med. L. IV. C. I. ſub. fin. Et ab* ONYMOS *Diſp. cit. §. 2. quando putat vaginae axin debere eundem eſſe cum uteri axi.*

§. XIV.

Per ipſum vero ani centrum Pelvis Axin tranſire menſura docet, quod hoc centrum aeque diſtat a puncto A, ac a puncto B in linea A B, adeoque cum puncto D coincidit.

§. XV.

In hujus ſtructurae ratione indaganda uſuque, quem haec ipſa cognitio affert, practico cognoſcendo mihi prolixiori eſſe non licet. Quare paucis modo enumerabo.

1°. Structurae rationes, quae ſunt.

α) Neceſſitas Mechanica. Ut enim Cor & Pulmones commode collocentur, Dorſi Vertebrae verſus poſteriora cedunt; ut redeat aequilibrium Lumbares rurſus incurvantur, ita ad oſſis Sacri & ultimae Lumborum Vertebrae conjunctionem angulus naſcitur antrorſum pendens. Gravidus adeo Uterus increſcens neceſſario verſus anteriora progreditur. Quo vero recta linea foetus exire poſſit, verſus poſteriora Sacrum os curvatum eſt, hinc Pelvis Axis retrorſum projicitur.

cf. ONYMOS *l. c. §. 3. & 8.* ANDRY *Orthopedie L. II. p. 61. probe animadvertit os ſacrum ad poſteriora curvatum eſſe ex neceſſitate mechanica, magisque in feminis, quam in viris.*

§. XVI.

β) Antrorſum protenſus Uterus gravidus minus premit Ventriculum, Hepar & Diaphragma; adeoque liberior manet tum Dige-

D ſtio,

ſtio, tum Reſpiratio, quae utraeque multum impedirentur, ſi vitioſe Uterus in linea perpendiculari aſcenderet.

§. XVII.

γ) Ita locati Uteri Axis fere cum linea diagonali convenit, quae ex Muſculorum Abdominis & Diaphragmatis actione compoſita enaſcitur, ut in Partu maximam & rectiſſimam horum muſculorum vim Uterus recipere poſſit.

δ) Nec minus haec directio facit, ut foetus capite ſenſim praeceps factus Uteri orificio innitatur, idem ad Partum ſtimulaturus, praeparaturusque.

§. XVIII.

Vagina extra Axin Pelvis locata

α) Neceſſarium Uteri orificio objicit impedimentum, quo minus una cum foetu prolabatur, nec tamen tantum, quod ipſius foetus exitum inhibere poſſit.

α) Primo generationis negotio favet, talisque a ſitu Clitoridis requiritur, quae & ipſa in homine ad arcum oſſium Pubis erat locanda.

§. XIX.

Anum optime Pelvis Axis perforat, ut in egeſtione excrementorum Diagonalis ex Diaphragmatis & Abdominis Muſculorum actione compoſita maximam & rectiſſimam harum carnium actionem perficiat. Mollis vero particula atque flexilis ab oſſeo foetus cranio facile retrorſum pellitur.

§. XX.

2°. Servit haec cognitio Obſtetriciae Praxi.

α) Ex ea commodiſſimus Parturientium ſitus determinari poteſt.

β) In Partu Naturali praecipuam opem ferri Perinaeum reprimendo docet.

γ)

γ) Coccygem vero non eſſe reprimendum, nec Clitoridem ſurſum trahendam, ne, qui vanus PAVCI eſt metus, inter os Pubis & Caput compreſſa patiatur, inde patet.

δ) Magnum de ſitu Uteri obliquo lumen, quod DEVENTERVS primum accendit, inde claritatem maximam nanciſcitur.

ε) Cum vero omnem fere Obſtetriciae paginam exactior Uteri recti & obliqui cognitio abſolvat, ex primariis hujus artis principiis Theoriam Axeos Pelvis eſſe nemo dubitabit.

Sed haecce in praeſenti prooemii loco ſufficiant. Nunc majus quoddam onus ac munus mihi incumbere intelligo, cui ut aliqua ſaltem ex parte faciam ſatis, ſumma opum vi mihi enitendum eſſe video. Accidit enim ut SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS PRINCEPS GEORGIVS II. MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REX DEFENSOR FIDEI BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVX S. R. I. ELECTOR ET ARCHITHESAVRARIVS. DOMINVS MEVS CLEMENTISSIMVS munus Profeſſoris Medicinae Extraordinarii una cum arte Obſtetricia, clementiſſime mihi in celebri hac florentiſſimaque Academia demandaverit. Ne itaque ex REGIS CVRATORISQVE NOSTRI voluntate publicae utilitati deeſſe viderer, praeter artis Obſtetriciae, morborumque mulierum & infantum explicationem, Oſteologiam atque Anatomiam theoreticam uti docere jam tum coepi; ita deinceps, quantum in me eſt, in his, quas dixi, doctrinis tractandis cum cura pergam. Quod ut rite & ex more uſitato fiat, de *Artis Obſtetriciae Praeſtantia, quae omnino Eruditum decet, quin imo requirit*, pauca proferam in medium, quod fiet die Saturni, qui menſis hujus XVIII eſt, hora XI, in auditorio medico. P. P. in Academia Georgia Auguſta. d. XVI. Decembr. A. O. R. MDCCLI.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
TEMPORVM
IN GRAVIDITATE ET PARTV
AESTIMATIONE

QVAM
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN
ALMA GEORGIA AVGVSTA
PRAESIDE
I. G. R.
PRO
SVMMIS IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
PRIVILEGIISQVE LEGITIME ADEVNDIS
DIE XV. SEPT. MDCCLVII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
IO. FRIEDERICVS GVILIELMVS DIETZ.
HASSO DARMSTADINVS.

CARISSIMO DIETZIO SVO.

S. P. D.

PRAESES.

E*tſi* TIBI *nunquam dubium fuit, quin mihi eſſes cariſſimus; tamen academicum morem* TIBI *publice honores mox conferendos gratulandi eo lubentior ſequor, quo laudum praedicatione dignior es. A ſingulari autem modeſtia, quae reliquas* TVAS *virtutes exornat, magis retineri mihi videor, quam officio obſtringi* TVAEQVE *gloriae deſiderio. Etenim facile encomiis meis carebis, qui tum propria virtute ſuſtentaris, tum* VENERANDI PARENTIS *illuſtri nitore ſplendes, cujus num facundi ſermones omnisque doctrinae chriſtianae divites in ducendo coetu plus valeant, an integritatis exemplum mirer, dubius haereo. At dubia fortuna* TIBI *non eſt, qui tali* PARENTE *uteris: cujus etiam fortunae quandam partem ipſe habeo, favoris fructu, quo me complectitur* VIR VENERANDVS & TVO, *cariſſimi fratris doctiſſimique ſtudiorum ſocii hoſpitio. Reditum in patriam, quem nunc paras, Deus* TIBI *fortunet, uberrimos eruditionis & virtutum fructus* TIBI *largiatur atque in ſeros annos* TE *cum* OPTIMIS PARENTIBVS *ſervet. Ita vale,* MI CARISSIME, & *abſens etiam animo in me eſſe non deſine, quem hoſpiti hactenus atque amico probaſti. Scribeb.* Goettingae d. XIV. Sept. 1757.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

TEMPORVM IN GRAVIDITATE ET PARTV AESTIMATIONE.

§. I.

Partus naturalis & perfecti terminum conſtantem ponere, arduum utique eſt atque anceps negotium, nemo etſi, noni menſis ſolaris finem ex conſueto ordine grauiditatem abſoluere, dubitat. Tot ſane & rationes & obſervationes regulari partus humani termino obiiciuntur, ut regulas ſusque deque habuiſſe naturam *a)* crederes, quae tamen nunquam ad incertas & vacillantes leges dirigi ſolet. Non inutile adeo opus eſſe putavimus, plures de partus humani termino obſervationes colligere & ſummatim in tabula exhibere, quarum quidem ſummam prius quam perpendamus, praemonere quaedam neceſſum eſſe duximus.

a) PLI-

a) PLINIUS *Hiſtor. Natur. L. VII. Cap. 5.* "*Caeteris animantibus ſtatum & pariendi & partus gerendi tempus eſt: homo toto anno & incerto gignitur ſpatio. Caeterum de hac incertitudine partus humani conferri poſſunt ſcriptores, qui de medicina forenſi exponunt.* DE LA MOTTE *Traité Complet des Accouchements. L. I. Cap. XXVII.* ILL. HALLERUS *Praelect. in Boerhaav. T. V. P. II. p. 491. ſqq.*

§. II.

In naturalis partus conſuetum & normalem terminum inquirentes, unum alterumue diem non curamus, quin de hebdomade adeo anxii non ſumus. Diverſorum certe uterorum habitus citius paulo vel ſerius contractioni doloribusque ad partum aptus eſſe poteſt, ipſae licet vires ſuetis proportionum legibus morem gerant.

§. III.

Triplicem terminum, unde calculi initium ſit, feminae ſibi ponunt; ipſum conceptionis diem horamque; ſanguinis menſtrui periodos; primam embryonis agitationem. Conceptionis quidem dies, certo cognitus, ſine ulla fallacia ad partus terminum ducit; noſſe autem iſtud punctum raro medico obſervatori licet: quis enim in hujus generis arcana facile inquirit? & quaenam amantium factam conceptionem diſcernere a ſterili labore didicit? Accidit tamen, ut diſcrimina non ſint obſcura; accidit etiam, ut unius tentaminis peccatum luant, quae furtivos amores quaerunt: quas ſane obſervationes eruere e feminis, quae in noſocomio noſtro partum editurae nutriuntur, aliquoties datum nobis fuit.

§. IV.

Menſtruorum periodi fallaciis non carent. Dum ſua periodo lunare tributum ſolvitur, cogitare de facta conceptione feminae non ſolent, ſed initium eo referre, quo uterus, alias expurgandus ſanguine, clauſus ſiccusque manet. Concipere autem feminas non ipſa men-

menſtrui fluxus, nunc ceſſantis, periodo, ſed vacuo & binis periodis interpoſito ſpatio, quod tres ſaltem hebdomades aequat, ultro liquet: quare unam alteramve, quin tres quandoque hebdomades addere iſti calculo debemus verum terminum determinaturi *a*). Saepius porro evenire ſolet, vt, conceperit licet femina, ſanguinis tamen expurgatio aliquoties recurrat. Ita praematurus partus habebitur, qui ſuam periodum explevit.

a) *cf.* IAC. DENYS *Verhandelingen over het ampt der Vroedmeeſters en Vroed-vrouwen. C. IV. p. 82. ſq.*

§. V.

Agitatio embryonis, quam primam gravida percipit, pro dirigendo calculo omnium minime ſervit. Ex ſequente tabula facile intelligemus, quam vaga ſint tempora, quibus primam illam ſenſationem adſcribere poſſumus.

	Quotus ſit partus.	Quando gravida primum foetus motum ſenſerit. (Numerus calculi a partu ad primum motum repetitur.)		Tempus partus.		Pondus infantis recens nati.
		Partus maturi.				
		hebdom.	dies ante partum.	hebdom	dies à conceptione.	
1	2	-	-	39.	6	℔vjß.
2	1	19.	3	39.	2	℔vj.
3	2	-	-	39.	-	℔vj$\frac{3}{4}$.
4	1	-	-	39.	-	℔v. ℥II.
5	2	22.	6	38.	6	℔vj. ℥viß.
6	2	-	-	38.	6	℔vj$\frac{1}{4}$.
7	2	vltra 20. hebd.		39.	1	℔vj. ℥xIIIß.
8	3	19	-	38	2	℔vj.
9	1	-	-	39	-	℔viij.
10	1	-	-	39	-	℔vij.
11	3	14	-	39	-	℔vij.
12	2	-	-	39	-	℔vjß.
13	2	-	-	39	-	℔vjß.
14	1	-	-	39	-	℔vI$\frac{1}{4}$.
15	2	-	-	39	-	℔vj$\frac{1}{4}$.
16	1	-	-	39	-	℔vj.
17	1	12	-	39	-	℔v$\frac{3}{4}$.
18	1	19-20		39	-	- -
19	2	22	-	39	-	- -
20	1	-	-	39	-	- -
21	3	-	-	39	-	- -
22	2	-	-	39.	40	- -
23	3	-	-	39.	40	℔v. ℥xvß.

Quotus

	Quotus ſit partus.	Quando gravida primum foetus motum ſenſerit (Numerus calculi a partu ad primum motum repetitur.)	Tempus partus.	Pondus infantis recens nati.
		Partus maturi.		
		hebdom. dies ante partum.	hebdom. dies à conceptione.	
24	1	16 & ultra	Noni quaſi menſis ſolaris finis.	℔vij¾.
25	2	24 -		℔vij¼.
26	1	- -		℔vij.
27	1	- -		℔vj. ℥xiij.
28	2	- -		℔vj¾.
29	1	- -		℔vjß.
30	1	- -		℔vjß.
31	2	- -		℔vjß.
32	2	21 -		℔vj¼.
33	4	- -		℔vj.
34	2	22 -		℔v. ℥xivß.
35	1	- -		℔v. ℥xiv.
36	1	- -		℔v¾.
37	1	- -		℔v¾.
38	2	- -		℔vß.
39	1	19 -		℔vß.!
40	2	21 -		- -
41	3	20 -		- -
42	3	19ß. -		- -
43	1	18 -		- -
44	1	- -		- -
45	1	- -		- -
46	1	- -		- -
47	4	- -		- -

Partus maturi.

	Quotus ſit partus.	*Quando gravida primum foetus motum ſenſerit.*	*Tempus partus.*	*Pondus infantis recens nati.*
		hebdom. dies ante partum.	hebdom dies à conceptione.	
48	2	- -	38. 3	- -
49	4	21 -	37 -	℔vj. ℥xj.
50	1	- -	37 -	℔vjß.
51	1	19 -	37 -	℔viß.
52	6	20 -	37 -	℔vj. ℥iv.
53	2	- -	36 -	℔vij.
54	1	18 - 19.	36 -	℔vj. ℥xß.

Partus per ſpecimen immaturi.

	Quotus ſit partus.	*Quando gravida primum foetus motum ſenſerit.*	*Tempus partus.*	*Pondus infantis recens nati.*
		hebdom. dies ante partum.	hebdom. dies à conceptione.	
55	2	19 -	37. 1	℔vj. ℥ij.
56	1	- -	36. 6	℔viß.
57	2	20 -	36. -	℔vj. ℥vß.
58	2	19 1	36. -	℔vj$\frac{1}{4}$.
59	1	- -	35. 4	℔vj. ʒiß.
60	1	21 -	35 -	℔vij. ʒiß.
61	1	- -	34 -	℔vj$\frac{1}{4}$.
62	-	- -	34.	- -

Quotus

Partus immaturi.

	Quotus ſit partus.	*Quando gravida primum foetus motum ſenſerit.*	*Tempus partus.*	*Pondus infantis recens nati.*	*Longitudo infantis recens nati.*	*Partus.*
		hebd. dies ant. part.	hebd. dies à concept.		pedes. pollic.	
63	2	- -	38. 5 -	℔ivß.	I. 5.	facillimus & celerrimus.
64	2	- -	37. 5	℔v $\frac{3}{4}$.	- - -	facilis.
65	3	- -	37 3	℔vß.	I. 9.	facilis & lentus.
66	I	- -	37 2	℔iv$\frac{3}{4}$.	I. 6.	facilis & lentus.
67	2	16 -	37. I	℔v $\frac{3}{4}$.	I. 8.	lentus ob caput obliquum in latus ſiniſtrum.
68	I	- -	37. -	℔vß.	I. 7.	facilis.
69	3	18 -	36. 4	℔v. ℥xiiiß.	- - -	facillimus & celerrimus.
70	2	16 -	36. 2	℔Iv. ℥xij.	I $6\frac{1}{4}$.	vti n. pr.
71	I	- -	36. I	- - -	- - -	- -
72	2	19 -	35. 2.	℔v. ℥xv.	- - -	- -
73	I	- -	35. -	℔iij$\frac{1}{4}$.	I $3\frac{1}{2}$.	facillimus & brevis.
74	I	- -	33. 5	- - -	- -	- -
75	4	- -	32. 4	- - -	- -	partus gemellor. modice lentus.
76	3	- -	37 - 38.	℔v$\frac{1}{4}$.	I. $7\frac{1}{2}$.	facilis.
77	I	- -	37. -	℔v.$\frac{1}{4}$.	I. 6.	facilis & lentus.
78	I	20. -	37. -	℔v.$\frac{1}{8}$.	I. 6. 2 l.	lentus modice.
79	I	18 - 19 -	36 - 37	℔v. ℥xß.	I. 8. 5. l.	lentus: mater nana.
80	3	- -	36. -	℔Iv. ℥vj.	I. 6.	lentus modice: funis circumplicatus brachio & pedi dextr.
81	2	- -	35-36 -	℔iiiß.	I. 4.	facilis.
82	I	21. - anne error?	34. -	℔Iv.$\frac{3}{4}$.	I. 8.	facilis.
83	2	18. -	34. -	℔iij.$\frac{3}{4}$.	I $5\frac{1}{2}$.	facilis.
84	5	13 - 14.	34 -	℔ß. cum integro ovo.	- -	facillimus & celerrimus. Jam per plures hebdomates motum embryonis non ſenſit.
85	4	12. -	29 -	- -	- -	- -
86	3	10. -	27 -	- -	- -	praevii pedes.

Quo-

Partus ſeriores.

	Quotus ſit partus.	*Quando gravida primum foetus motum ſenſerit.*	*Tempus partus.*	*Pondus infantis recens nati.*	*Longitudo infantis recens nati.*	*Partus.*
		hebd. dies ant. part.	hebd. dies à concept.		pedes. pollic.	
87	2	- -	39.40 -	℔vij. ℥xv.	1. $11\frac{1}{2}$.	facilis.
88	-	19 -	40 -	℔vj.	1. 8.	lentus ob funis ſtricturas.
89	1	- -	40 -	℔vj. ℥v.	- - -	facilis.
90	1	24 -	40 -	℔vj. ℥viß.	1. $9\frac{1}{3}$	facilis.
91	-	- -	40 -	℔viß.	1. 7.	facilis.
92	2	- -	40 -	℔vij. -	1 $7\frac{1}{2}$.	lentus ob funis ſtricturas.
93	1	- -	40 -	℔vij. $\frac{1}{4}$.	1. $11\frac{1}{2}$.	facilis.
94	3	- -	40 -	℔vij. ℥xijß.	1. $11\frac{1}{2}$.	facilis.
95	1	- -	$40\frac{1}{2}$ -	℔vij. $\frac{1}{4}$ -	1 $7\frac{1}{2}$.	facilis.
96	1	21-22.	40. 2	℔vj. ℥xß.	1. 11.	qualis in primiparis eſſe ſolet.
97	2	- -	40 -	℔vj. -	1 7	lentus ob funis ſtricturam.
98	1	23 -	41 -	℔vj. $\frac{1}{4}$.	1. 9.	naturalis. vti n. 96.
99	1	- -	41 -	℔vß.	1. 7. -	naturalis. vti n. 96.
100	1	- -	41. -	℔vij$\frac{1}{4}$.	1. 9.	qualis in primiparis eſſe ſolet.
101	1	- -	42 -	℔vij. ℥xiv.	1. 9.	Nates praeviae & facile ſuperabile capitis obſtaculum.
102	1	- -	42 -	℔vij. $\frac{1}{4}$.	1. $8\frac{1}{2}$.	qualis in primiparis eſſe ſolet.
103	2	- -	42 -	℔vij.	1. 10.	facilis.
104	1	- -	42-43.	℔vij. -	1. 10.	lentus, capitis magni difficilis tranſitus.
105	1	- -	47 -	℔vij$\frac{3}{4}$.	1. 8.	lentior, quam in primiparis.
106	2	- -	57 -	℔viij.	- -	operatio caeſarea.
107	1	- -	41. 6	℔iv $\frac{3}{4}$.	1 7	facilis.
108	2	- -	43 -	℔vj $\frac{3}{4}$.	1 $6\frac{3}{4}$.	lentus ob funis ſtructuras.
109	1	22 -	43. 3	- - -	- - -	facilis.
110	2	- -	44 -	℔vj$\frac{3}{4}$.	1 $7\frac{1}{2}$.	lentus modice ob caput obliq.
111	1	- -	44 -	℔vjß.	1 10	uti n. 102.
112	2	- -	48. 2	- - -	- - -	vti n. 101.
113	2	- -	58. 3	℔vij$\frac{1}{4}$.	1. 9.	facilis.

§. VI.

§. VI.

Notatas in tabula obſervationes ſi comparamus, ad ſequentia fere redeunt, quae de partus tempore obſervavimus.

1°. Hebdomadis trigeſimae nonae, ſive noni menſis ſolaris finis pro regularis termini norma haberi poteſt. Dies conceptionis partusque non ignoravimus in numeris 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Hebdomas ſaltem, non dies conceptionis indicatus fuit in numeris 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. In reliquis 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. calculis matrum fides tribuenda fuit.

2°. In numeris 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. ex illo tempore calculorum initium a gravidis poſitum eſt, quo primum ſiccus manſit uterus. Facile autem cum pateat, ante illud tempus conceptionem factam fuiſſe, ad trigeſimae nonae hebdomadis finem aſſurgit ſaltem partus terminus, niſi in nonnullis ſuperat.

§. VII.

3°. Pondera infantum recens natorum & reliqua criteria immaturum partum indicarunt in numeris 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. quibus in caſibus conceptionis diem recordatae ſunt matres. Similes partus, ex certis criteriis immaturi, utut non ad dies, ad hebdomades tamen referri potuerunt in numeris 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86.

4°. A conceptione procul dubio aliquid ſanguinis ex utero profuſum matres decepit, ut immaturos partus crederent, qui revera maturi fuerunt in numeris 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. velut infantum recens natorum pondera, reliqua maturi partus criteria & ipſa motuum embryonum prima tempora docent.

§. VIII.

5°. Inter reliquas obſervationes quaedam etiam partus termino quadrageſimae hebdomadis finem attingunt; quem itaque pro naturalis

turalis etiam partus limite conſtituere, non dubitamus. Indicarunt gravidae conceptionis diem in num. 96. & 97. in reliquis 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. hebdomadem.

6°. Partus ſeriores utique rariores ſunt. In num. 98. 99. periodi non curate determinatae ſunt: etenim ad feſta quaſi gravidae conceptiones retulere, quibus facile aliquot hebdomades poſteriores eſſe potuerunt. Solet enim inter plebejas iſtiusmodi feminas fieri, ut a feſtis calculos ſuos repetant, hebdomadis unius alteriusve differentiam non curantes.

7°. An datur partus ſerotinus, qui videlicet quadrageſimam hebdomadem excedit? Num. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. forſan huic tribui inſcribendi ſunt: pondera ſaltem infantum, ſeptem librarum & ultra conſentire nobis videntur. Quorſum num. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. referri debeant, in dubio forſan eſt.

§. IX.

De partu ſerotino caeterum notari poteſt. 1) Duos modo inter noſtras obſervationes, qui decimeſtrem ſuperant, reperimus: n. 105. & 106. 2) Inter 113. partus, vix novem eo pertinere poſſunt probabili ſatis fide. 3) Qui quadrageſimam tertiam hebdomadem non excedunt, vel faciles fuerunt, vel ſolitis primiparatum laboribus non difficiliores; atque adeo partus menſis intervallo ſerior peculiari difficultate ex ſua natura non premitur. Ita in n. 103. elapſo ab amnii liquoris fluxu horae dimidio nata ſine ulla difficultate inſolita puella eſt: caput, veſica velamentorum tectum, binas quaſi horas deſcendendo per pelvis cavitatem tranſegit. In num. 102. ante natum puerum ſine mora amnii liquor profuſus eſt. Pariter deſcenſus cum veſica capitis binas horas explevit. In n. 101. foetum, natibus ad os uteri compoſitum, ars exſolvit, capitis obſtaculum nullo negotio ſuperans. N. 100. fere ad rationem n. 102. aeſtimari poteſt. (In n. 109. velut in n. 102. amnii liquoris profluvium caput illico ſecutum eſt: vix dimidium horae in pelvis capacitate deſcendens cum veſica caput morabatur. In n. 111. quinque horae quadrantes amnii liquoris profluvio & capitis è genitalibus lapſui

deſcen-

deſcenſuique interpoſitae ſunt. Similis fere ratio eſt reliquorum numerorum. Enimvero nihil deſcriptis in caſibus paragomphoſeos notatum, ſed caput à dolorum quolibet non parum depreſſum eſt, poſtquam diductum orificium nihil lapſui morae injecit. 4) Partus n. 104. qui ſub finem decimi menſis contigit, & ſerior n. 105, naturalibus lentiores & difficiliores ſunt. 5) Prae reliquis memorabilis eſt verus ſerotinus n. 106. quo non ſolum foetus quadrati & latis humeris conſpicui, pondus reliquis maximum, ſed ea moles fuit, ut caeſarea operatione extrahi deberet. Licet enim in parva admodum parturiente, & male nutrita, parum a naturali proportione aberraret pelvis, neque tamen aliquot dierum labores, neque forcipis applicita brachia ſatis, ut naſceretur, caput compreſſerunt, neque, licet hoc minutum fuiſſet, corpuſculi reliquum pelvis capacitatem tranſiiſſet. Quin itaque ex partu, decimo tertio menſe facto, natus infans naturalem proportionem ita ſuperet, ut aegerrimus inde partus ſequatur, dubium eſſe nequit. Sed inter 113. partus, unicum iſtiusmodi obſervavi, vel duos; huc enim & infra n. 116. procul dubio pertinet.

§. X.

Solent etiam inter cauſas partum retardantes referre matris diſpoſitionem phthiſicam hecticamque, qua foetus ſufficienti alimento deſtituitur *a*). Plana certe a debili phthiſicaque matre ad nutrimentum embryonis deficiens prima ſpecie conſequentia videtur eſſe. Verum enim vero contrarium ſaepe obſervatio nos docuit. Etenim feminas frequenter vidimus conſpicua ad phthiſin diſpoſitione ipſaque phthiſi laborantes, quae ipſae licet, utero gerentes, ad nuda quaſi oſſa emaciatae multumque ex fractis viribus paſſae ſint, infantes nihilo ſecius praeter morem craſſos, toroſos magnosque in lucem ediderunt, omnium mole ſua admirationem moventes. Putamus ſane ipſi illi vel phthiſicae diſpoſitioni vel phthiſi prolis conſpicuam molem adſcribendam eſſe. Nollemus enim in phthiſica & diſpoſitione & lue nutrientis humoris penuriam quandam, ſed loci potius errorem culpare. Videas ſanos homines viribusque valentes, quibus nutriens latex non minus paratur, quam ad quodlibet punctum figitur; videas viciſſim phthiſicum bene & paſtum & cibos digeren-

F tem

tem chyloque affluentem, qui tamen nutrimenti beneficiis privatur, diſſipata gelatina per excernentia organa, vel in vlceroſum nidum aliumve collecta. Crederemus etiam in gravida femina, criſeos ſaepe modo, placentam ex utero quidquid eſt humoris nutrientis in abundans embryonis beneficium devorare quaſi & haurire. Aſſenſum vix denegabit, qui animadvertit, quod aliquoties obſervavimus, in iſtiusmodi feminarum mammas aliasve partes vlcera abſcedere, vel illico a partu, vel depulſo a mammis lactente puero; memorabili utique collecti nutrimenti ſerie in embryonem, lac & pus gelatinoſum *b*).

a) *cf.* TEICHMEYERI *Med. forenſ. Cap. IX. Qu. 13. 2.*
b) *cf. Praeſ. Decad. duae de partu laborios. Obſ. VIII. Epicr. 3.*

§. XI.

Ita, ut ſpecimina nonnulla inter plura afferamus, feminam vidimus macilentam, phthiſi aptiſſimam, annos triginta & ſex natam, quae enixa puellam cum eſſet, ſeptem cum dimidia libras pondere aequantem, juxta cum lochiorum ſanguine è genitalibus profudit materiem purulentam, foetentem, e flava-viridem. Fluxus per plures hebdomades continuatus quando ceſſaverit neſcimus, neque detegere nobis licuit, utrum verum ulcus pus fuderit, an evomuerint ſoli ſinus vaginae mucoſi?

Alia, praecedenti ſimilis, trigeſimo aetatis anno minor, primo alteroque partu pergrandem prolem, maſculam priorem, femellam poſteriorem, cum edidiſſet lactaſſetque, a priore ablactatione ulcuſculis regiones ſubaxillares depaſcentibus vexata eſt, a poſteriore ulceribus mammae ſiniſtrae chronicis, longo tandem remediorum uſu ſanitati reconciliata.

Quin femina *a*), quae tertio a partu die ex chronico pelvis amploque ulcere mortua licet ſit, puerum tamen, ſeptem libras pendentem, enixa eſt. Plura exempla, ne nimium digrediamur, tacemus.

a) *cf. l. c. Obſ. VIII.*

§. XII.

§. XII.

Pergimus ad partus immaturos, quorum num. 65. 66. 75. 77. 78. 79. 80. ſine alia, memorabili ſaltem cauſſa, lentiores obſervati ſunt. Cervicem uteri, putamus, craſſam, necdum ſufficienter dilatatam & extenuatam uteri fundo gravius objeciſſe obſtaculum, dolorum vi fracta. In num. 65. lentae dolorum actiones decima quinta hora foetum excuſſerunt. Diductum integerrime os uteri non eſt, ſed depreſſum in vaginam & in parietes replicatum. In n. 66. ad vigeſimam horam cum modica dolorum vi partus, caeterum facilis, protractus eſt, amnii liquore illico ante foetum profuſo. In n. 75. rari moderatique, poſt plures praeſagientes, dolores lente cum orificium craſſum tumensque diduxiſſent, celeri tandem violentia primum embryonem expreſſerunt: per quatuor ſaltem dies praeſagientium vis dolorum cervicis obſtaculum fregit, verorum autem opera in duodecimam horam protracta eſt. In n. 77. octodecim horas partus duravit. In n. 78. poſt plurium hebdomadum dolores praeſagientes decima quinta hora partus abſolutus eſt facilis, amnii liquorem mox foetu excipiente. In n. 79. poſt diei dolores praeſagientes partus ad octavam horam cunctatus eſt, capite veſicam liquoris amnii illico inſequente. In n. 80. duodecim quaſi horas partus complectebatur, capite parum ad ilia ſiniſtra obliquo & fune brachio pedique dextris circumplicato, caeterum facilis. Reliqui partus praematuri ut faciles, ita intervalli compendio naturalibus non erant inferiores. In n. 67. obliquitati magis partus mora, quam praecipiti termino adſcribenda fuit.

Concludere adeo integrum nobis eſt, immaturum partum, utut lentior nonnunquam ſit, maturo non eſſe difficiliorem. Facilem partum deſcriptis in caſibus vel ſola liquoris amnii ſerior profuſio demonſtrat, quae in difficili partu ab ipſo foetus e ſinu lapſu remotior eſſe ſolet. Primi partus ab alio quocunque in mora dijudicanda diſcrimen ne negligatur. In n. 82. duodecim, in num. 68. ſex, in n. 69. tres, in num. 81. tres horas, in n. 83. ſeptem octove horas partus duravit. In n. 86. cum modico capitis obſtaculo vivus infans natus eſt. Quin plures alios partus immaturos faciles

les annotavimus & expeditos, quos tabulae adjicere dubitavimus vero calculo deſtituti & ex ſolo corpuſculi habitu pondereque praecipitem terminum dijudicantes.

§. XIII.

Immaturi partus ſigna ſunt

1°. Color corpuſculi purpureus vel ruber, quin lividus quandoque, in extremis maxime artubus & facie. Sanguis per tenerrimam epidermidem pellucet. Manuum palmae pedumque plantae purpureo vel livido colore ſplendent.

2°. Mollis & longa lanugo corpuſculo inſtrata eſt, partibus praecipue lateralibus faciei, ſive oculorum lateribus, dorſo, humeris & iliis.

3°. Corpuſculum plerisque in caſibus macilentum, minus toroſum; artus graciles tenuesque; mobilis, contracta & arida cutis, quae vix aliquid, quin nihil pinguedinis, ſed nudos muſculos velat; quare & inter aridas nates, non prominentes, turpis podex hiat.

4°. Magnus fons pulſatilis & cranii oſſa ex facili mobilia.

5°. Facies deformis, ſenilis quaſi, cum conſpicuis lineamentis & rictu oris magno latoque. Totius embryonis ingratus aſpectus & odor. Labia & aures tenerrima epidermide tectae, colore rubrae, obſcurae vel roſeae: aures pertenues, membranis ſimiles, cum exigua auricula pendente. Ex mento & naſi bulbo tubercula ſebacea, velut colliculi albicantes, prominent. Lingua intenſa rubet.

6°. Oculi clauſi, palpebrae conniventes, quae haud multum aperiuntur, cum averſo a lumine infante tenebrae fiunt. Immaturi embryones circumſpicere vivide, velut alii infantes, non ſolent.

7°. Capitis capilli albicantes vel flaveſcentes & nitentes, quos ſane copioſos & vncialis longitudinis vidimus: ungues etiam manuum pedumque breves, teneri, molles, facile plicandi, velut tenuis chartae folia, ultra digitos non prominentes, vix lineam longi. Longos tamen in manibus quandoque vidimus. Cilia & ſupercilia tenerrima & laeviſſima. Quid de vulgato ſigno immaturi foetus

tus ex capillorum unguiumque defectu ſentiendum ſit, ultro liquet.

8 °. Scrotum rubicundum & tumens; teſticulis vacuum eſſe ſolet, qui nonnunquam ſuper pubis oſſibus in inguinibus reperiuntur. Inſigni etiam tumore pudendorum labia in femellis elevantur. Minimae mammarum papillae rubrae, velut acuum capitula, ſine conſpicuo diſco.

9 °. Vagitum infantibus ſolennem immaturus puer non edit, ſed ſimilem fere ſonum ſuſpiriis adultorum obtuſis. Continuo ſomno indulget; vix, niſi a cruciatu moveatur, vagit niſique excitetur evigilatur. Multum vagiunt, quibus inteſtina dolent.

10 °. Frigoris adeo impatientes ſunt, vt manus mox pedesque frigeant, niſi externo calore foueantur. Debiles etiam & convulſionibus apti, ni omni cura & blandiſſime nutriantur. Incerto a partu tempore vires confirmantur, vagitum edit puſio, ubera petit, oculos viuide aperit & circumſpicit. In num. 70. quidem haec facta ſunt ſexto a partu die. In n. 69. die vigeſimo quinto, quo puſionis pondus erat ſex cum dimidia librarum. Caeterum uberibus appoſiti lac, utut minus copioſum, niſi morbo impediantur, ſugunt.

§. XIV.

Maturis utique infantibus pondere & longitudine cedunt immaturi. En, quae obſervavimus.

1 °. Nullum obſervatorum ponderum ad ſex libras aſcendit. Qui itaque natus infans aequat pondere vel ſuperat ſex libras, maturus cenſendus eſt.

2 °. Plurium immaturorum pondera inter quintam ſextamue libram media ſunt, maturorum autem ſex libris rarius minora: quam ob rem immaturum foetum certa fide non probat ſexta libra pondus inferius, ſed probabili ſaltem, & ex comparatis reliquis indiciis limanda.

3 °. Alia etiam immaturorum pondera infra ipſam quintam libram ſubſiſtunt, ſuperant omnia maturorum. Immaturi adeo foetus proprium eſt pondus quintam libram non excedens.

4 °. Exacta, ut ponderum, longitudinum ratio non eſt *a*). Longitudo ſaltem, quae pede cum dimidio minor eſt, indicare immaturum infantem videtur, quamvis inter hos plerique iſtam menſuram vel aequaverint vel ſuperaverint; atque adeo longitudo pedem cum dimidio vel aequans vel ſuperans nihil in partus termino conſtituendo valeat. Quae vero infantis longitudo pedem cum novem pollicibus excedit, ad maturam partus periodum pertinere videtur, quod iſtum longitudinis exceſſum in immaturis nunquam obſeruauimus.

5 °. Minor in menſura longitudinis, quam pondere maturorum & immaturorum differentia ſubmonere quaſi nos videtur, maſſam magis, quam longitudinem foetus ultimis menſibus creſcere; quam quidem conjecturam maturi foetus habitus craſſus & toroſus, carne & pinguedine apprime conſpicuus, immaturi vero tenuis, ſtrigoſus & pinguedine vacuus (cf. §. 13. 3 °.) confirmat. *b*)

6 °. Aliorum etiam, tabulae non adjectorum, pondera immaturorum quinque libris inferiora obſervavimus, ſimilium quaſi externo habitu ſeptimeſtribus & octimeſtribus. Ita primipara facilem partum edidit poſt aliquot dierum dolores praeſagientes; pendebat infans. ℔iv. ℥xiv. Alius puſionis facili & ſecundo partu nati pondus erat ℔iv. ℥xiiiß. longitudo 1. pedis $7\frac{1}{2}$ pollic. Vidimus primo partu natum integrum ovum cum pondere embryonis ℔iiß. & longitudine 1. ped. 2. poll. &c.

7 °. Addere liceat plures inter praematuros foetus puellas obſervatas eſſe pueris, ad quartam ſaltem partem.

8 °. An pondus octo & ultra librarum ſerotinum partum indicat? Ita ſane in n °. 106. & 116. obſeruaui. Semel etiam inter maturos. n. 9. pondus ℔viij. occurrit.

a) *conf. Praeſid. Comment. in Comment. Societat. Gotting. T. III. p. 423. §. XXXIV. Nunquam enim &c.*

b) *Similia fere de ſerioribus affirmare poſſumus. Cum tamen maturorum longitudines vix decem, ſupra pedem, pollices attingant; longitudinem decem, ſupra pedem, pollicum majoremque ſoli fere infanti ſeriori adſcriberemus. cf. tab. p. 38.*

SECTIO

SECTIO II.

DE PRIMO EMBRYONIS MOTV.

§. XV.

Medium graviditatis terminum diſtinguere ſolent periodo, qua primum embryonis motum in utero gravida femina percipit: exacti vero calculi rationes inde deducere minime nobis integrum eſt. Non minus iſtae periodi discrepant, ac gravidae decipiuntur, ad verum embryonis motum primum & debilem nunc non attendentes, nunc quamlibet abdominis agitationem iſti motui adſcribentes. Attamen inter decimam nonam vigeſimamque ſecundam hebdomadem medius terminus fere cadit, repetendo calculum a partu ad primum iſtum motum. Inter partus maturos raro obſervavimus citiores motus hebdomade vigeſima ſecunda *a*), ſerioresque hebdomade decima octava *b*). In n. 17. hebdomade demum duodecima motum ſe animadvertiſſe gravida aſſeruit, negligenter forſan habito motu praecedente.

Inter ſerotinos partus ſunt, qui ad hebdomadem vsque vigeſimam tertiam redeunt, quin in n. 90. hebdomade vigeſima quarta, ante partum quadrageſimae hebdomadis, agitatio iam a grauida notata eſt.

In immaturis minores numeros eſſe mirum eſſe nequit. In n. 82. error forſan latet.

a) HARVEIVS *Exercit. de uteri membran. & humor. p. 390. aſſerit, quarto iam (a conceptione) menſe & citius foetum moveri.*

b) IAC. DENYS *Lib. cit. p. 104. obſervavit ſexto demum menſe rarius & debilius motos, quin ſeptimo demum.*

§. XVI.

Seriem addimus temporum primi motus, vbi conceptionis tempus erui non potuit.

Quotus

	Quotus ſit partus	*Quando gravida primum foetus motum ſenſerit.*	*Pondus infantis recens nati.*	*Longitudo infantis recens nati.*	*Partus.*
		hebd. dies ante part.		Ped. poll.	
114	2	25 -	℔vij. ℥ix.	1. 9.	facilis.
115	2	25 -	℔vj. ℥xiiiß.	1. $7\frac{1}{6}$.	facilis.
116	2	24. -	℔viij. ℥ß.	1. $11\frac{1}{2}$.	praeternatur. ob latos humeros & abdomen: procul dubio ſerotinus
117	2	24. -	℔vij $\frac{1}{4}$.	- - -	uti n°. 133. (cf. 5. IX. p. 41.
118	5	$22\frac{1}{2}$. -	℔viß.	1. 10.	facilis.
119	3	22. -	- -	- -	- -
120	3	22. -	℔v. ℥xvß.	1. 6.	facillimus.
121	2	22. -	℔v. $\frac{3}{4}$.	1. $7\frac{1}{4}$.	naturalis.
122	1	22. -	℔vß.	1. 8.	lentus.
123	3	21. -	℔vij. ℥j.	1. 9.	facilis.
124	1	21. -	℔vj.	- -	lentus.
125	2	20. & ult.	℔vij $\frac{3}{4}$.	1. 7.	naturalis.
126	1	19. 20.	℔v. ℥xß.	1. 8.	lentus.
127	2	19 -	- -	- -	- -
128	2	19. exact.	℔vj $\frac{1}{4}$.	- -	facilis.
129	1	16. 17.	℔vj.	1. $8\frac{2}{3}$.	facilis.
130	2	16. -	℔vijß.	1. $8\frac{2}{3}$.	facilis.
131	2	16. -	℔vij. ℥iß.	- -	facilis.
132	2	16. -	℔v.	1. $6\frac{2}{3}$.	lentus: dubia praematuri ſigna.
133	3	15. -	℔vjß.	1. 7.	a capite iniquo partus modice lentus.
134	2	13 -	℔vj. ℥xi.	1. $9\frac{1}{4}$.	facilis.
135	1	9. -	℔v.	1. 8.	praematurus.

Inter

Inter has, ceu patet, obſervationes aliquot ſunt, quae ad hebdomadem decimam quartam quintamque redeunt, procul dubio partuum ſerotinorum: ſunt aliae, quae vltra hebdomadem decimam ſextam, quin tertiam non pergunt, inter quas alter partus eſt procul dubio immaturus: immaturus etiam n. 135., cujus terminus a motu novem hebdomades non ſuperat: reliquae vel ad caſus rariores, vel gravidarum etiam errores, referri debent. Decipi gravidae non poſſent, ſi ſenſationis modum probe diſtinguerent. Quilibet profecto vagus abdominis motus foetui non eſt tribuendus, ſed qui ex centro quaſi abdominis verſus integumenta erumpere nititur, debilis ſub initium & rarus ſenſimque vehementior & frequentior.

SECTIO III.

DE CORPVSCVLI AD OS VTERI POSITV.

§. XVII.

In naturali partu primum ad os vteri caput componi notiſſimum eſt certiſſimumque; vtrum per omnem graviditatem ſedem inferiorem occupaverit, an ſucceſſu demum temporis eodem delapſum ſit, determinatu difficile eſt. Id ſaltem exploratione (*a*) edocti cognovimus, non partus demum tempore ori vteri caput opponi, ſed tres quaſi menſes ante partum. Memoratu autem digno modo caput exploranti digito objicitur. Quando videlicet pro uteri ſtatu cognoſcendo gravidam feminam ſubinde exploramus, orificii mutationes non magis obſervare nobis licet, quam ad omnem oris ambitum, verſus ipſam uteri cervicem, digito aſcendere, nihil utique in ipſa cervice primis menſibus diſtinguentes. Solet enim fundus ea periodo maxime mutari, intacta cervice, quam tenuem & anguſtam ab explorante digito arcet vaginae laquear ex oris vteri radice reflexum. Expanſa poſterioribus menſibus cervix & laqueari vaginae in omni oris ambitu appreſſa, in durum tumorem prominet, auctum ſenſim duritie & amplitudine. Iſtum vero tumorem in ipſum os vteri continuari digito explorante non obſcure diſcernimus. Inde tumoris durities denuo laxatur, & cavatus quaſi mollisque ipſe tumor notatur, comprehendente cavo

G pilam

pilam minorem, duram facileque mobilem, cum vaginae laquear & incumbentem laqueari cervicem explorans digitus impellit: quo tempore expanſa & laqueari innitens pars cervicis *ſegmentum uteri inferius* vocari incipit.

a) *cf.* IOSEPH. ONYMOS *Diſſ. de naturali foetus in vtero materno ſitu. Lugd. Bat. 1743. Ext. in Collect. Haller. Diſputat. anatom. Vol. V. p. 319.*

§. XVIII.

Aegrius autem capitis pilam ab uteri ſegmento diſcernimus, quoties ipſum ſegmentum circa tertium quaſi ante partum menſem mobilitate ſua pilam mentitur. Diſcriminis momenta petimus a maiore ſegmenti amplitudine; orificio uteri, quod ſegmenti impulſi aſcenſum ſequitur; regularium, quales in capitis pila notari ſolent, aſcenſus deſcenſusque viciſſitudinum defectu: preſſione enim eleuatum ſegmentum uteri in elatiore ſede moratur, incerto tempore denuo lapſurum; ſegmenti notabiliore mollitie: ſiquidem caput diſtincta ab ore uteri eademque duriſſima pila eſt, regulares aſcenſus deſcenſusque viciſſitudines ſervans.

§. XIX.

Primis utique temporibus in elatiori pelvis loco cum uteri ſegmento pila locatur, ſolo inter ſymphyſin oſſium pubis & os uteri loco medio tangenda & explorantis digiti luſui quaſi accommodata; aſcendens videlicet ſaltansque, ſi digito impellitur, moxque relabens. Solet tamen quandoque euenire, ut ad modum ſegmenti inferioris levis capitis pila illico non deſcendat, ſed poſt aliquam moram. At aſcendentis motum corpuſculique embryonis alliſionem in oppoſita uteri ſede, circa vmbilicum, vel ſcrobiculum cordis, vel unum alterumve hypogaſtrium gravida ſentit momentaneam moxque, cum labitur corpuſculum, ceſſantem, eamque quandoque ingratam, cum dolore & modica praecordiorum anxietate vel animi deliquio. Quas quidem aſcenſus deſcenſusque viciſſitudines repetere exploratori licet, ſimili propemodum ſaltatu, quo homuncione carteſiano ludimus.

Levius

Levius embryonis caput multoque amnii liquore comprehenſum & natans in circumfuſo liquore non difficulter mouetur ſecumque in ſuperiora totum embryonis corpuſculum abripit, altero extremo uteri fundum feriens. Aucta pondere & amplitudine pila latior, inferior & in omni orificii ambitu tangitur ſurſumque aegrius mouetur; deſcendens tandem ſuperiorem pelvis aperturam replet vixque e loco moveri graviſſima poteſt *); impenſe ſimul ſegmentum vteri expandens laquear vaginae deprimit, dum ipſum orificium in ſuperiora trahitur.

*) *Non ſola exploratione, ſed anatomica etiam ſectione, determinari ille deſcenſus poteſt.* IAC. DENYS *L. c. C. III. p. 63. vidit ſub noni menſis finem inferius uteri ſegmentum in pelvis aperturam ſuperiorem ita depactum, ut utero impreſſus ſit angulus oſſis ſacri.*

§. XX.

Quo melius vero cum ſuis differentiis iſtae uteri & capitis mutationes intelligantur, perutile in argumento, vix hactenus a ſuis autoribus leviter ſtricto, cenſemus obſervationum ſingularium in tabula ſeriem exhibere, qua temporum etiam in illis mutationibus rationes comprehenduntur. Primi erunt partus naturales & faciles, inſolitis impedimentis vix irretiti, ad quorum tempora regulae inſtrui debent. Inde a partu redeundo ad tempora, quibus uteri tumor capitisque pila primi notantur, numeri ducti ſunt.

Partus naturales faciles & maturi.

Prima columna ſeriem obſervationum diſtinguit, altera quotus feminae partus fuerit indicat, tertia tempus, quo tumor uteri notabatur, quarta, quo pila capitis. *m.* id eſt menſis. *h.* hebdomas. *d.* dies. NB. docet tempore in tabula notato prius exploratum non eſſe, ita ut indeterminata eo nomine obſervatio ſit, & prior forſan periodus.

1 • 1 • — • 3. m. 3. h. 1. d. | Leviſſimum principio caput; elapſis menſe decemque quaſi diebus, in ſublimem ſedem adeo remotum, ut vix tangatur; elapſo iterum menſe mobile & leve.

2 • 1 • — • 3. m. 1. h. | Nempe ante partum lentum, propter funem collo circumplicatum. Principio caput mobile & ſuetae aſcenſus deſcenſusque viciſſitudines: elapſis duabus hebdomadibus rurſus aſcendit caput, vix tangendum movendumque; impulſum tamen dolorem in vmbilici regione facit. Inde denuo ponderoſius & profundius. Sexta hebdomade ante partum rurſus altiſſimum, non movendum; ſedem pelvis dextram occupans, vacua ſiniſtra. Modice verſus partum deſcendit, altum perpetim manens, contingi licet poſſit.

NB.
3 • 4 • — • 3. m. 2. d. | Mobilis principio capitis pila & in umbilici regione, ſi movetur, dolorem movens; tertia hebdomade elatiori loco, ſupra aperturam pelvis ſuperiorem poſita & ſegmentum inferius extendens; ſenſim profundior & notabiles aſcenſus deſcenſusque viciſſitudines; inde caput ponderoſius & ultima hebdomade ſola immotum fere ſuperiorem pelvis aperturam replet.

4 • 1 • — • 3. m. | Principio caput leviſſimum, & ſuetae motuum viciſſitudines, quos ad umbilicum gravida ſentit. Senſim ponderoſius, ultimo menſe aperturam pelvis ſuperiorem replet, immobile fere duas ultimas hebdomades.

5 • 1 • — • 3. m. | Mox principio mobile caput tangitur.

NB.
6 • 2 • 4 m • 3. m. | Leviſſimum, altiſſimum principio caput, obſcure pone oſſa pubis percipiendum,

endum, ſenſim profundius & ponderoſius: binis hebdomadibus ultimis vix mobile. Inſignis antea tumor uteri.

7 ″ 1 ″ — ″ 3. m. | Primo pone inferius ſegmentum tenſum caput altum locatur, ſenſim mobile, tandem ſuperiorem pelvis aperturam immobile replet.

8 ″ 1 ″ — 3. m. | Caput principio mobile & leve: totum ultimum menſem profundum & binas ante partum hebdomades replet aperturam pelvis ſuperiorem, ponderoſum & vix mobile. Impulſum in hypochondriis ſiniſtris dolorem movet. Inferius uteri ſegmentum molliſſimum. Partus ex capitis mole lentus.

9 ″ 2 ″ — ″ 2. m. 4. h. | Mobilis principio capitis pila & liber luſus, mox inſequente hebdomade adeo illa alta, ut moveri nequeat, altera denuo mobilis. Duabus hebdomadibus ultimis aperturae ſuperiori caput impactum vix tactui cedit.

10 ″ 1 ″ — ″ $2\frac{3}{4}$ m. | Caput principio mobile, ſenſim ponderoſius.

11 ″ 5 ″ — ″ $2\frac{3}{4}$ m. | Caput principio mobile & reliqua ſueta.

12 ″ 2 — ″ NB. ultra $2\frac{1}{2}$ m. | Caput ab initio mobile & altiſſimum.

13 ″ 2 ″ 4. m. ″ NB. ultra 2. h. ″ $2\frac{1}{2}$. m. | Ad ultimam usque hebdomadem caput mobile manet.

14 ″ 1 ″ — ″ NB. $2\frac{1}{2}$. m. | Tantillum principio mobile caput, ſenſim magis, inde ſueto more profundius & ponderoſius, ultima hebdomade penitus immobile.

G 3 15 ″

NB.

15 ″ 2 ″ — $2\frac{1}{2}$. m. | Mobiliſſimum principio caput, pone tumens in vaginám ſegmentum uteri inferius, dein adeo altum, ut non tangatur, altero menſe rurſus mobile, inde ponderoſius &c.

NB.

16 ″ 2 ″ — ″ $2\frac{1}{2}$. m. | Caput principio mobiliſſimum, ſub ſequentis menſis initium vix pone oſſa pubis, propter altiorem poſitum, tangitur, ſenſim rurſus profundius & ponderoſius, ad partum usque mobile. Funis ſimplici vice collo infantis circumpoſitus.

NB. NB.

17 ″ 2 ″ $4\frac{1}{2}$. m. ″ $2\frac{1}{2}$. m. & ultra. | Ponderoſus uteri tumor principio profunde in pelvim pendet: elapſis 3. hebdomadibus in altum ſublatus tumor eſt, inde mobile & ponderoſum caput notatum. Ultimo menſe depreſſum caput totam pelvis aperturam ſuperiorem replet.

NB.

18 ″ 1 ″ — ″ $2\frac{1}{2}$. m. | Caput principio vix attingendum & mobile, ſenſim profundius & ponderoſius.

NB.

19 ″ 1 ″ — $2\frac{1}{2}$. m. | Mobile principio caput, inde ponderoſius ſueto more.

NB.

20 ″ 2 ″ 4. m. ″ $2\frac{1}{2}$. m. 1. h. | Altiſſimum principio caput, quod vix tangitur. Senſim parum deſcendit mobile: ultimum menſem ponderoſius, profundius, mobilitatem minorem ad partum usque ſervat. Uteri tumor inde a principio in omni orificii ambitu tangitur, duritie ſenſim & amplitudine creſcens, moxque duriſſimus. Sub tertii ante partum menſis initium ita uteri ſegmentum aſcendit, ut tumorem digitus explorans non aſſequatur; altera hebdomade denuo deſcendit, ſub finem ſequentis hebdomadis laxatur, mollitur & capitis pila digito offertur.

21 / 1 / 3. m. / $2\frac{1}{2}$. m. 3. h. | Caput principio mobile tangitur, adeo autem leve eſt, ut in excelſis motum maneat ſeroque deſcendat. Senſim gravius ſit & alterni motus viciſſitudo notatur. Difficilius ultimo menſe movetur, pelvis aperturam minus opplens, tandem immobile. Uteri tumor, duritie ſueto more auctus, integrum fere menſem ante pilae lapſum mobilis erat. (funis collo circumplicatus.)

NB.

22 / 1 / $3\frac{1}{2}$. m. / $2\frac{1}{2}$. m. | Partus ob funem collo circumplicatum lentus. Altum principio caput, vix mobile: vix etiam ob pondus mobile 2 ultimas hebdomades.

23 / 2 / — / $2\frac{1}{2}$ m. | Sueta capitis phaenomena.

NB.

24 / 2 / $3\frac{1}{2}$ m. / $2\frac{1}{2}$ m. | Sueta phaenomena. Caput, ob pondus, per ultimum menſem immobile.

25 / 2 / $4\frac{1}{2}$ m. / $2\frac{1}{2}$ m. | Sueta phaenomena.

26 / 3 / — / $2\frac{1}{2}$ m. | Parum principio mobile caput, vix a tumore cervicis diſtinguendum, ſenſim mobilius.

27 / 1 / — / $2\frac{1}{2}$ m. | Vix ultimo tempore mobile caput.

NB.

28 / 1 / $3\frac{1}{2}$. m. / $2\frac{1}{2}$ m. | Pone tenſum uteri tumorem vix principio caput tangitur, mobile ſenſim.

29 / 1 / — / $2\frac{1}{2}$ m. | Immobile principio caput excelſum, mobile ſenſim, inde ponderoſius &c.

30 / 4 / — / $2\frac{1}{2}$. m. | Mobiliſſimum principio caput, ſenſum ponderoſius: vix mobile per ultimum menſem. Partus facie ad ilia dextra lentus.

31 / 1 / — / $2\frac{1}{2}$. m. | Dubius principio cervicis vel pilae tumor,

tumor, ſenſim mobiliſſimum caput ſecundo ante partum menſe.

32 ″ 3 ″ — ″ $2\frac{1}{2}$. m. | Leve principio capitis pondus, mobiliſſimum, ſenſim ponderoſius & tandem penitus immobile. Antea ob altitudinem nihil tumoris uteri tactum eſt.

33 ″ 1 ″ — ″ $2\frac{1}{2}$. m. | Mobile primum caput, per binas hebdomades ultimas aperturam ſuperiorem immotum replet. Funis in partu collum ſtringit.

NB.
34 ″ 2 ″ $4\frac{1}{2}$. ″ $2\frac{1}{2}$. m. | Caput principio mobile & reliqua ſolita.

35 ″ 2 ″ — ″ $2\frac{1}{2}$. m. | Minima principio capitis pila, ſenſim major & profundior &c.

NB.
36 ″ 2 ″ — $2\frac{1}{2}$. | Caput principio leviſſimum, tres ante partum hebdomades fere immobile.

37 ″ 2 ″ — $2\frac{1}{3}$. m. | Tertio ante partum menſe nihil vel tumoris uteri, vel capitis tetigi. Principio dein caput vix ponderoſum & leviſſime obſervabile, ſenſim paulo ponderoſius, ſed mobile &c.

NB.
38 ″ 2 ″ — ″ 2. m. | Altiſſimum, quod vix tangitur, principio caput, dein ſub medium alterius ante partum menſis ſolum molle ſegmentum inferius, nil capitis, tactu percipitur. Verſus partum tantillum caput ſupra os pubis in excelſis notatur. Partus ſine peculiari impedimento modice lentus. Cur ita altum caput?

39 ″ 2 ″ — ″ 2. m. 1. h. | Durus, antequam caput tangeretur, fuit uteri tumor: dein dubie retro orificium capitis pila, vix attingenda & ſurſum movenda, inde mobilior, ſenſim ponderoſior, tandem vix mobilis. Mo-

ta

ta ab initio capitis pila leuis illico non deſcendit, ſed aliquid temporis in ſuperiori loco morata eſt.

NB. | Bis ab initio tumorem uteri tetigi; elapſo vero à prima exploratione menſe

40 ꝭ 2 ꝭ 4½. m. ꝭ — ꝭ | iterum tactui ſeſe ſubduxit capitisque tumor obſcurior notatus eſt, & altera adhuc ante partum hebdomade mobilis manſit. In partu naturali copioſiſſimus amnii liquor profluxit.

41 ꝭ 3 ꝭ 5 ꝭ 2. m. | Iam ante quintum menſem dubie uteri tumor tangebatur, inde notabilis, & ſenſim integram fere pelvis aperturam replens, ulterius parum mobilis, tandem graviſſimus, globoſus, capitis fere forma, qualis, antequam caput diſtinguatur, fere eſſe ſolet. Capitis in motu viciſſitudines mox ab initio notabiles. Altera ante partum hebdomade caput immobile in aperturam pelvis ſuperiorem deſcendit; ſed ſequenti mox die reſtituta eſt mobilitas & ad ſuperiora retractum caput, inde rurſus ponderoſius aliquot ante partum dies deſcendit, parum mobile.

42 ꝭ 1 ꝭ 2½. m. ꝭ 2. m. | Vix mobile principio caput, preſſum ad umbilicum dolorem movet; ſenſim paulo profundius, quamuis ipſum obſcure tactu percipiatur: Quinta hebdomade ante partum adeo ſublimis uterus, ut nihil fere tangatur. Tertia hebdomade ante partum caput denuo profundius mobiliusque; binas ultimas hebdomades vix amplius ſuperabile capitis pondus.

NB. | Levis principio uteri tumor, dein

43 ꝭ 2 ꝭ 3½. m. ꝭ 2. m. | parvum caput & mobile: menſe fere ante partum adeo altum, ut exploranti digito ſeſe ſubducat; per hebdomadem ultimam altum & modice mobile. Lentus partus. Cur ad partum usque ſublime caput?

44 / 2 / — / 2. m. | Antea omnem tumoris uteri tactum ſitus ſublimis abſtulit.

45 / 3 / $3\frac{1}{2}$. m. / 2. m. | Immobile per ultimam hebdomadem caput.

46 / 3 / 3 m. / 2. m. | Caput principio leviſſimum in alto loco, inde mobile modice ad diem usque ante partum.

47 / 2 / 2. m. / 2. m. & ultr. | Tertio menſe ante partum nondum tangebatur uteri tumor; caput inde leve & mobiliſſimum. Duplex in partu circa collum funis ſtrictura.

48 / 2 / 2. m. / NB. 2. h. | In alia femina, quæ foetum edidit fune ad collum ſtrictum, 2. menſ. & 2. hebd. ante partum, dubie tumorem uteri tetigi, qui totus rurſus tactui ſeſe ſubduxit elapſis 2. hebdomadibus, & altera hebdomade ante partum mobile adhuc, altum & leve caput fuit.

49 / 2 / — / NB. 2 m. & ultra | Caput principio parvum, altum, mobile, parum altera hebdomade ponderoſius deſcendit Cum modica obliquitate funis collo circumpoſitus caput retraxit.

50 / 2 / — / NB. 2. m. | Caput mobile, paulo ponderoſius verſus partum, cum duplici ſtrictura funis ad foetus collum.

51 / 2 / — / NB. 2. m. | Menſe ante partum cum funis ſtrictura adhuc mobile caput. Copioſus ſimul amnii liquor.

52 / 2 / $3\frac{1}{2}$. m. / NB. 2 m. | Caput ab initio mobile, ſenſim ponderoſius.

53	I	—	2 m. & ultr. NB.	Caput principio mobile, tertia hebdomade ante partum immobile in ſuperiorem pelvis aperturam delapſum eſt; ſenſim ponderoſius.
54	I	3. m. 10. d. NB.	I. m. 8. d. NB.	Latus & durus cervicis tumor. Caput ponderoſum & mobile, totam aperturam pelvis replet.
55	2	2. m. NB.	I. m. I. h.	Ponderoſum caput primum notatum eſt.
56	I	—	I. m. I. h. NB.	Caput ab initio ponderoſum & immobile in aperturam pelvis deſcendit.

Subjungimus, ob periodum regularem, binos partus capite praevio difficiles.

57	I	3. m.	$2\frac{1}{2}$. m.	Durus cervicis tumor. Leve principio caput, ponderoſum ſenſim; ad partum usque mobile. Anguſta licet pelvis & pus utero circumfuſum fuerit, nihil tamen capitis ratio ad tactum mutata eſt. Eſt obſ. VIII. in Praeſ. Dec. du. de partu laborioſo.
58	2	—	2. m. NB.	Senſim quidem ponderoſius caput, minusque inter ſymphyſin oſſium pubis & capitis pilam intervallum; inobile tamen caput ad partum usque. Eſt Obſ. I. l. c. Manus lateri capitis inhaerebat.

§. XXI.

Comparatis in tabula obſervationibus nonnullas concluſiones generales elicimus.

I. Sub initium mediumque ſeptimi menſis frequentiſſime caput primum tangitur, tertio nimirum vel ſecundo cum dimidio ante partum menſe;

menſe; quandoque ſub initium octaui menſis, ſeu ſecundo ante partum menſe; rarius ante ſeptimum menſem, velut in n. 1. 2. & 3. & poſt octavum; in n. 54. ſqq. Ad unum alterumve, quin plures quandoque dies attendere non poſſumus, gravidas videlicet non explorantes quotidie: commode etiam ſubtilitatibus caremus.

2. Medio quinti menſis, ſeu quarto cum dimidio menſe ante partum, uteri in vagina primum quandoque tumorem offendimus, alias ſerius; quin ita interdum uterus in ſublime tollitur, ut digito exploranti totus ſurripiatur.

3. Eadem altitudinis differentia facit, ut nunc nimis altum principio caput mouentem manum non admittat, nunc profundius moveatur.

§. XXII.

4. Senſim quidem, ex uſitata regula, auctum pondere & volumine caput inferius uteri ſegmentum deprimit: ſunt tamen caſus, quibus juxta cum uteri ore profundum principio caput denuo in ſublime ita rapitur, ut explorantem digitum ſubterfugiat, rurſus poſtea lapſurum. *) Inde enim a tertio menſe usque ad partum aſcendere & ab oſtio vaginae recedere os uteri ſolet. Ab illa praeterea periodo, qua in ſummitate vaginae caput tangitur, depreſſum in vaginae laquear inferius uteri ſegmentum expanditur & a capitis pondere impellitur, ore uteri abbreviato. In plerisque ſaltem caſibus orificium attingendi difficultas cum grauiditate creſcit, pila capitis viciſſim viciniore, quo propior partus eſt. Paradoxon non mirabimur, ſi partium pelvis poſitum contemplemur. Cum in pelvis cavum caput dependet, ab oſtio vaginae modice remotum pelvis axin ſequitur; aſcendens autem per lentos gradus ſuperioris aperturae pelvis centrum ita occupat, ut exploranti ad ſacrum os receſſiſſe videatur. Capitis pila, dum mole minor, in axi pariter pelvis, ſede nimirum, quae tota ceruice & ſuperiore pelvis apertura elatior eſt, locatur. Creſcens mo-

le caput non magis in laquear vaginae & ſuperiorem pelvis aperturam ſegmentum uteri agit, quam verſus oſſium pubis ſymphyſin diducit, ab externo ſinu, atque adeo explorante digito, minus remotum. Quo magis ſane diſtat partus, eo latius inter capitis pilam & oſſium pubis ſymphyſin ſpatium eſt, arctius ſucceſſive, dum pondere labens caput expanditur.

*) *Praeter ſupra expoſitas obſervationes 3½. hebd. ante partum in femina iterum gravida dubie ob altitudinem caput tetigi, quod diſtinctum & ponderoſum aliquot dies ante partum fuit, foetusque pondus* ℔ vij ¾.

§. XXIII.

5. Adeo ultimo tempore, unam, duas, tres, quin quatuor hebdomades, inſigne capitis pondus eſſe ſueuit, ut ſine notabili mobilitate ſuperiorem pelvis aperturam expleat. Non deſunt tamen caſus, etiam in tabula non notati, quibus non modica mobilitas & altitudo ad partum usque manent. An ſubinde propter liquoris amnii abundantiam, caput ſuſtinentis? cf. n. 40. & 51. In n. 13. minor etiam infantis moles, 5¾ ℔ eſt. In n. 16. & 49. funis forſan caput retraxit, certius in n. 2. 41. 48. & 50. Nollemus tamen ſimpliciter funem collum ſtringentem in mutanda capitis altitudine multum culpare, quod cunctis in caſibus reliquis, ſine peculiari capitis phaenomeno, funem collo circumplicatum obſeruauimus. Retrahit caput funis, quando brevior collum retinet; ex longiori aliquid ſine noxa collo impenditur. In plerisque caſibus nihil ſingularis, ex quo phaenomenon explicarem, obſervavi. cf. & obſ. §. 24.

6. Quum naturalis partus futurus eſt, per tres quaſi menſes embryonis ſitus ita determinatur, ut pone os uteri caput pendeat; putare adeo fas eſt, foetus ſitum per ultimos menſes neque indeterminatum eſſe, neque partus demum tempore a dolorum vi ad os uteri componi caput.

§. XXIV.

Deſcriptas quidem mutationes ſimiles pluribus aliis in caſibus annotavimus, inter ſuperiores non relatis, periodorum norma deſtituti; ex quibus quaedam, ſimilibus omiſſis, memorabilia ſubjungimus.

In n. 59 & 60. facies licet ad ilia ſiniſtra, & in n. 61. ad dextra verſa fuerit, nihil tamen a ſueta regula receſſit, & in n. 59 & 60. binas hebdomades ante partum immotum caput ſuperiorem pelvis aperturam texit.

In n. 62 & 63. pondere ſuo caput deſcendit, obliquum licet, ſed parum, ad anteriorem ſiniſtramque pelvis ſedem: in n. 62. immobile tandem velut in n. 59.

In n. 64. ultimo menſe magnum in vagina capitis pondus, facies licet ad oſſa pubis converſa ſit.

In n. 65. binos ante partum tertium & celerrimum menſes caput mobile & elatum ſubſtitit, cum pondere foetus aequaret ℔vij. ℥xiiβ.

In n. 66 & n. 67. menſe ante partum mobile adhuc caput, foetuum licet pondera ℔viij. & ℔vij. fuerint, ſub graviditatis finem in n. 66. ponderoſum. Similem mobilitatem in n. 68. cum pondere foetus ℔vj. obſervavi. In n. 69. cum pondere foetus ℔vj. ℥ eodem tempore mobile, altera hebdomade ante partum immobile & ponderoſum in pelvis aperturam dependet. Eadem in n. 70.

In n. 71. Menſe ante partum mobile, altiſſimum, vix tangendum caput, quod in partu oſſibus pubis inhaeſit.

In n. 72. caput mobile ab oſſibus pubis adhuc ſuſtinebatur pridie partus.

In n. 73. Parum mobile caput in aperturam pelvis ſuperiorem ante partum deſcendit, funis licet collum ita ſtrinxiſſet, ut forfice in partu praeſcindi debuerit.

§. XXV.

Sequuntur partus ſerotini.

NB.
74 ſ 2 ſ ultra ſ 2. m. (106. p. 38.) 3. m. | Caput principio mobile, ſenſim ponderoſius & aliquot dies ante partum denuo elatius.

75 ſ 2 ſ 3. m. 1. m. (103. ſupra p. 38.) | Segmentum uteri tenſum altiſſimo in loco haeret, vix tangendum, atque adeo ſera capitis, non minus excelſi, & modice verſus pelvim pondere nitentis, perceptio.

76 ſ 1 ſ — ſ $3\frac{1}{2}$ m. (102. p. 38.) | Propter elatum uteri ſitum cervicis tumor non tangebatur: ab initio caput mobile, ſenſim ponderoſius.

NB.
77 ſ 2 ſ — ſ 2. m. (113. p. 38.) | Altiſſimum principio caput agerrime tangitur.

In n. 78. (109. p. 38.) & 79. (111. p. 38.) modice mobile caput, praeter ultimam ante partum hebdomadem, notavi.

Vix ex parcioribus caſibus concluſiones formare nobis licet. Memorabilis tamen eſt in n. 76. citior fere eo ſpatio capitis perceptio, quo ſuetum partus terminum ſuperat.

§. XXVI.

Ad partus immaturos pergimus.

NB.
80 ſ 1 ſ 3. m. ſ 1. 8. d. | (P. ℔iv$\frac{1}{4}$.)

NB. 2. m.
81 ſ 2 ſ $3\frac{1}{2}$. m. ſ 12. d. (63. p. 37.) | Multum mox caput pondere ſuo deſcendit.

NB.
82 ſ 3 ſ — ſ 2. m. (65. p. 37.) | Mobile ab initio caput.

83 ſ 1 ſ — ſ 2. m. | Caput mobile, leve & altum. Ob altitudinem nihil antea tumoris uteri tetigimus. (Pondus ℔v$\frac{1}{4}$).

84 :

84 • 2 / — 2. m. | Caput altum & mobile ad partum usque. Tumor capitis ut n. praeced. (Pond. ℔v$\frac{1}{4}$.)

85 / 1 • $2\frac{3}{4}$. m. • 2. m. | Parum mobilis uteri tumor: mox etiam caput mobile, ſenſim ponderoſius, ultima hebdomade immobile. (P. ℔v. ℥xß.)

86 / 1 / 4. m. / 2. m. | Vix ab uteri tumore caput principio diſtinguebatur, in ſublimi ſede locatum; ſenſim mobile deſcendit. (P. ℔vß.)

87 / 1 / — / 2. m. | Ante alterum menſem, neque uteri tumorem, neque caput, nimis videlicet excelſum, tetigi; inde parvum & mobile; aliquot diebus ante partum ponderoſum & immobile. (P. ℔ v$\frac{1}{4}$.).

NB.
83 / 1 / — • 1. m. | Satis principio caput ponderoſum.
(135. p. 48.) 3. h.

1. m. | Principio caput mobile & paruum; ita ad partum manet, ſegmento ute-
89 / 1 / 4. m. / 3. h. | ri nunquam preſſo. Altus uteri tu-
(78. p. 37.) mor & vix tangendus, quandoque digito totus ſeſe ſubducens.

90 / 1 / 3. m. / 1. m. 1. h. / 1. h. | Excelſum principio caput, ſenſim ponderoſius. (P. ℔iv. ℥xiv).

NB. ultra
91 / 2 • — • 1. m. | Caput ad primam explorationem ponderoſum. (P. vix ℔v.).

NB.
92 / 2 • — • 1. m. | Mobiliſſimum caput ad partum usque. (P. ℔iv. ℥xiiiß).

NB.
93 / 2 / — 1. m. | Caput modice ponderoſum & mobile.
(64. p. 37.)

NB. 94 ⸗ 2 ⸗ 2. m. ⸗ 1. m. (72. p. 37.)	Caput modice ponderoſum.
NB. 95 ⸗ 1 ⸗ 2. m. ⸗ 1. m. (74. p. 37.	Perquam durus uteri tumor; modice ponderoſum & mobile caput.
96 ⸗ 1 ⸗ 3. m. ⸗ 1. m. (82. p. 37.)	Modice ponderoſum caput ad partum usque.
NB. 97 ⸗ 2 ⸗ 2. m. ⸗ 1. m.	Parum principio tumoris pone orificium, ſenſim magis; caput mobile. (P. ℔v. ℥xivß. Funis circa collum).
NB. 98 ⸗ 3 ⸗ 1½. m. ⸗ 3. h. (85. p. 37.)	Modicus uteri tumor, capitis pila levis.
NB. 99 ⸗ 3 ⸗ 2. h ⸗ —. (76. p. 37.)	Tumor uteri ponderoſus in aperturam pelvis non nititur, ſed in dextro latere haeret. Funis ſimplici vice collo circumplicatus.
100 ⸗ 1 ⸗ 3. m. ⸗ —. (79. p. 37.)	Ponderoſum quidem, ſed mobile ad partum usque caput.

Breviorem tumoris uteri & capitis ante praematurum partum periodum eſſe, ex collatis obſervationibus concludimus. Alias ad partum usque caput mobile eſt, alias ante partum ponderoſiſſimum moveri nequit. Similia fere obſervavimus haud paucis aliis in caſibus, quibus primam periodum capitis determinare datum nobis non fuit, dubiusque partus immaturus.

101 ⸗ 3 ⸗ 6. m. ⸗ 4. m. (80. p. 37.	Tantillum pone orificium principio tumuit uterus, tumore ſenſim creſcente. Caput principio mobiliſſimum.

102 ″ 2 ″ 4. m ″ 3 m. | Caput principio mobile & altum, ſenſim altero menſe ponderoſius, mobile tamen ad ultimam usque hebdomadem manet. (P. ℔iv¾.)

103 ″ 2 ″ .— ″ 3. m. (83. p. 37.) | Mobile principio caput, ſenſim ponderoſius, ultimo menſe ponderoſiſſimum & immobile.

Cur tribus his in caſibus adeo praematurum caput cum uteri tumore?

§. XXVII.

Bis quae ad ſegmentum uteri inferius ante partum gemellorum naturalem contingunt, obſervare nobis licuit.

In altero n. 104. caſu feminae iterum gravidae, quatuor ante partum menſes, ſublimi in ſede, vix ponderoſum caput tetigimus. Elapſa inde hebdomade rurſus digito exploranti ſeſe caput ſubduxit, ſolo ſegmento uteri molli relicto. Ab aliquot inde hebdomadibus denuo deſcendit mobile & ponderoſum ſenſimque ponderoſius: mobile ad partum usque manſit.

In altero n. 105. (ſupra n. 75. p. 37.) mobile caput totamque pelvis aperturam, per ultimam hebdomadem, replens modicam ad partum usque mobilitatem conſervavit. Primum ſecundo menſe ante partum explorantes caput iam notauimus.

§. XXVIII.

Quando in partu nates ad orificium uteri componuntur, pars pone ſegmentum uteri prolabens, capitis ſimulacrum, ab ipſo capite ante partum non diſtinguendum, exhibet.

NB. 106 ″ 2 ″ — ″ 3 m. & aliquot dies. | Contentum utero pondus principio in ſublimem ſedem adeo remotum, ut vix aliquid praeter durum uteri tumorem tangatur; elapſo menſe bene movetur

tur, 2 hebdomadibus iterum praeteritis aſcendit & digitum ſubterfugit. Poſt alias quatuor hebdomades mobile rurſus, ponderoſum & diſtinctum. Nulla hactenus de natibus praeviis ſuſpicio. In partu demum pone velamenta laxa, capitis loco, molle corpus tangebatur. Seriori partu foetus mortuus natus eſt; cf. ſupra. p. 38. n. 112.

NB
107 ″ I ″ — ″ $2\frac{1}{2}$ m. ″ | Altum principio natum pondus, leviſſimum mobiliſſimumque, atque altero menſe notabiliter auctum pondere.

NB.
108 ″ I ″ — ″ 2. m. | Partem praeviam prima vice mox ponderoſam tetigimus.

NB.
109 ″ I ″ — ″ $1\frac{1}{2}$. m. | Pilae in modum praevia pars mobilis, cum ſuetis aſcenſus deſcenſusque viciſſitudinibus: ſurſum etiam preſſa in umbilici regione a gravida ſentitur. Mox ante partum minus, ac caput ſolet, pars praevia pondere ſuo premit, facile a capite diſtinquenda. Ad praematuros partus pertinet.

110 ″ I ″ 4. m. 3. m.
(ſupra n. 101. p. 38.) 1. h. | Modicus uteri tumor. Praevia pars, capiti ſimillima, modice perpetim ponderoſa, ultimum menſem in excelſis haeſit: obliquus in partu ſerotino natum poſitus. Tres quaſi hebdomades ſerior partus citiori natum explorationi optime reſpondet.

111 ″ 5 ″ 1. h. ″ 0.
(84. p. 37.) | Tertia ante partum hebdomade nihil pone os uteri tangebatur; ultima hebdomade tumor uteri durus; partus immaturus.

§. XXIX.

Fieri etiam ſolet, ut juncti pedes capitis ante partum praevii ſpeciem praebeant.

Ita in n. 112. tertia ante partum tertium & immaturum (prius non exploravimus) hebdomade praevia moles mobilis quandam capi-

 tis

tis ſpeciem aemulata eſt; motaque ſenſationem in ſiniſtro hypochondrio fecit: inde ſenſim ponderoſior, perquam tamen mobilis, ad partum usque ſubſtitit. Iuncti in partu pedes offerebantur.

In n. 113. Pars quidem ante partum praevia pondere ſuo ſegmentum inferius preſſit, minore tamen amplitudine a capite diſtinguenda. Unicus in partu pes comparuit.

In n. 114. Ante partum gemellorum pars acuminata, elevata & inaequalis, minus rotunda, nullo negotio a capite diſtinguebatur. Unicus pes in partu ad os uteri lapſus eſt.

§. XXX.

De quibusdam porro caſibus dicere animus eſt, in quibus quidem caput ad os uteri compoſitum eſt, ſed minus conſueta in ipſo partu notata ſunt. cf. & §. XXIV.

In n. 115. (Dec. d. obſ. VII.) Quinta ante partum hebdomade adeo alta in ſede locatum fuit caput, ut idem vix percipere potuerimus, profundius ſenſim, mobile tamen ad partum usque. Partus procul dubio immaturus. Pondus infantis ℔iij. ℥xivß. Altum fortaſſis caput, quod immaturus partus fuit & foetus corpuſculum maceratum liquoris amnii grauitatem ſpecificam non ſuperavit, liberrime adeo, ſine deſcendente pondere, natans.

In n. 116. & 117. (Dec. d. obſ. IX. & XI.) Ante partum ponderoſiſſima capita. In illo ampliſſimum foetus corpuſculum, pondus ℔viij. ℥ß. In hoc orificium uteri collum embryonis ſtrinxit.

In n. 118. (Dec. d. obſ. X.) Mobile ad partum usque caput, aperturae pelvis non impactum. Ex obliquo ſitu mobilitas facile intelligitur.

In n. 119. quo caput ad ilia ſiniſtra obliquum fuit, ſeptima hebdomade ante partum altiſſimam in ſedem caput abreptum fuit, digito

gito vix aſſequendum, multo minus movendum; menſe ante partum ita ſublime, ut prorſus non contingatur, ſed ſolum ſegmentum inferius craſſum, ſpongioſum & tumidum. Elapſa hebdomade comparet rurſus caput, ponderoſius ſenſim & profundius, mobile ad partum & pelvis aperturam non obturans, quin quo propius partui, eo mobilius. Hebdomade ante partum femina frequentibus doloribus praeſagientibus agitata eſt, leviſſimumque caput factum: dolores procul dubio multum liquoris ante caput moverunt. Caetera ex obliquo ſitu intelliguntur.

In n. 120. Facies ad foetus oſſa pubis verſa fuit. Miro modo ſeptima jam hebdomade ante partum ponderoſum caput fuit & ſuperiori pelvis aperturae impactum, quam integram mox replevit, vix mobile. Senſim inde grauius deſcendit, mobile tamen parum ad partum usque manet. Si mouetur caput, ictum ad hypochondria ſiniſtra gravida percipit. In naturali ſitu ſolum occiput in aperturam pelvis deſcendit, totus autem vertex, quando ad oſſa pubis facies dirigitur: inde forſan ponderis differentia dicta intelligitur

In n. 121. Ante ſimilem partum, facie nempe foetus ad oſſa pubis verſa quinta ante partum hebdomade ponderoſum caput tetigi. Partus ſecutus facilis cum integra ſuper capite veſica.

In n. 122. Duos jam ante partum primum & capite magno difficilem menſes caput ponderoſiſſimum eſt & aegerrime movendum; inde continue pondus, amplitudo & deſcenſus creſcunt ita, ut totam aperturam ſuperiorem caput per ultimum menſem expleat, in latam ſuperficiem ſegmentum uteri expandens ipſumque tandem immobile. cf. n. 8.

In n. 123. Ad partum usque, cum inſigni uteri prolapſu difficili, alta & parva tactu capitis pila. Obſervatio infra deſcribetur.

In n. 124. Tertio cum dimidio ante partum, ſecundum & cum prolapſu vaginae lentum, menſe obuius tumor uteri, duritie, ut ſolet, creſcens, tandem duriſſimus & vix a capite diſtinguendus.

Menſe demum ante partum mobile caput diſcernitur ; ſecunda ante partum hebdomade denuo in ſummum vaginae migrat, a tactu motuque fere remotum.

In n. 125. ſecundo partu naturali nihil capitis unquam in vagina tetigimus, ſed ſolum uteri tumorem durum, menſe ante partum prima vice conſpicuum, & ad partum usque duritie creſcentem. An caput ita ſegmento appreſſum, ut locum non habuerit diſcrimen?

In n. 126. partu primiparae maturo & lento tertio menſe parique hebdomade ante partum leviſſimum principio caput tetigimus. Elapſis ſex hebdomadibus adeo caput ſublatum, ut vix amplius percipiatur. Inde leve & mobile denuo deſcendit. Si prius dicta periodo exploraviſſemus, procul dubio caput jam offendiſſemus. (Pond. ℔vß.)

Reliqua quidem, quae ſunt plurima, graviditatis partusque momenta aeque ac deſcripta perluſtrare conſtitueramus, at temporis ratio calamum figit, reſumendum alia opportunitate.

DISSER-

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

FOETU PERFECTO

QUAM

DEO TRIUNO PRAESIDE

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

CONSENSU

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI.

SOLENNITER DEFENDIT

IO. GEORGIUS ROEDERER

ARGENTORATENSIS.

AD D. 26. MAI. MDCCL.

H. L. Q. C.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE FOETU PERFECTO.

§. I.

Ex lege creatoris univerſali cuncta terrarum orbis corpora, ſuis inſtructa organis, ſtatas habent periodos, quibus finitis, eſſe deſinunt. Quaevis tamen eorum ſpecies in ſua prole reſtauratur. Quae ut producatur, in plurimis ſaltem, ubi non in omnibus, diverſi generis ſexus requiritur: quorum alter, ab altero fœcundatus, futuram ſobolem, per conſtitutum ſibi tempus, intra ſe fovet, juſto olim termino excludendam. Valet iſta lex in vegetantibus, obtinet in animantibus. Nec homo alia lege in lucem prodit. Minima primo mole, conceptus, intra matris ſinum formatur, ſenſim in corpuſculum creſcens viſu diſtinquendum, quod a ſphærula, limpidi liquidi plena, extus tota hirſuta, multum corpuſculo ipſo majore continetur. Inde fabrica membrorum fit evidentior; villi confluere incipiunt in maſſam peculiarem; ipſe homuncio, ab initio tuber magnum cum appendicibus parvis, explicatur in caput magnum, truncum & artus protuberantes. Formatus intra matris uterum incrementa capit eo usque, quo lucem & auram ferre valeat.

§. II.

Novem integri ſolis ſunt menſes, qui habitationem fœtus in utero determinant. Fraudulentia mulierum decepit ſubinde medicos, ut *Partum Foetus Perfecti* ante hoc tempus admiſerint. Quibus autem laborioſa obſervatio ad naturae penetralia paravit aditum, *) nunquam ante illam periodum perfectum videre foetum, optime animadvertentes; maſſae fere vegetabili manere ſimilem, qui ante abſolutam periodum fuerit enixus. Continuo enim ſomno im-

 motus

motus continetur, vagitum non edit, cibum vix appetit, quin ſubinde excitandus, ſi quidem nutrimenta ſunt ingerenda: debilis caeteroquin & frigoris quam maxime impatiens. Poſt conſummatam periodum vagitu virium omina facit **).

*) *Licebit hic honoris cauſſa nominare Dn. Dr.* FRIED, *Virum in doctrina & exercitio artis obſtetriciae Celeberrimum.*

**) *cf. ſupra p. 44. ſqq. &* DE LA MOTTE *Traité des Accouchemens L. I. Obſ. LXIII. Refl. p. m. 119. ſq.*

§. III.

Foetus Perfectus caput gerit permagnum, pedes juſto minores. Cutis colore nitet rubicundo; facies eo magis eſt inflata, quo diutius ad pelvis oſſa preſſum fuerit caput, nigra quandoque in partu difficiliori, eodemque diuturno, ob ſtagnantem intra cutis vaſcula ſanguinem. Vano ſubinde metu hujus coloris percutitur muliercularum corona; ſiquidem vaſis faciei ſic dilatatis, eo certiora futuræ venuſtatis fundamenta jaciuntur. Prominet umbilicus ad ſemipollicem, cohæret cum funiculo in placentam protracto. Integrum corpuſculum tenerum eſt, cuivis motui & flexioni obediens, illi potiſſimum, qui fit anteriora verſus. Hinc & in utero in glomus eſt convolutum, capite in pectus incurvato, femoribus ſurſum eminentibus, abdomini incumbentibus, tibiis ad angulum acutiſſimum deorſum reflexis, pedibus decuſſatis, calcaneis natibus innitentibus, humeris deorſum exporrectis, thoracis lateri adjacentibus, cubitis cum manibus vel pendentibus, ut crura tangant, vel ſurſum vergentibus, ut frontem ſuſtineant aut faciem, columna vertebrarum in arcum flexa *). Collum ita eſt flexile, ut citra lacerationem facies quandoque in dorſum ſit converſa, capite vel male locato, vel verſionem trunci non ſequente. Dictas flexiones natus infans motibus ſuis exhibet, quin per ſingularem morbi ſpeciem exhibere quandoque pergit **).

*) Foe-

*) *Foetus ſitum in utero accurate deſcripſit & eleganter icone expreſſit.* Cel. NOORTWYCK *in Uteri Humani Gravidi Anatome* §. 18. *ſqq. Tab. III.* Nec non Cel. ALBINUS *Tab. de Utero III. & V. cf. & Icones meae uteri humani obſervationibus illuſtratæ.*

**) *Naturalem muſculorum flexorum contractionem, extenſores ſuperantem, iſtum poſitum facere in dormientibus videmus illisque, qui negligenter corpus ſuſtinent. cf.* IOHN BURTON *new ſyſtem of Midwifry p. 98. ſq.*

§. IV.

Foetus ita convolutus *Ovo* includitur *Membranacco*, integram circumferentiam abſolvente, ſi funiculi introitum excipias. Intima lamella *Amnios*, pellucida, tenuis, firma. Exterius mediante cellulosa adhæret firmior, robuſtior, craſſior, itidem pellucida, *Chorion* vocanda. Arctius cum amnio cohæret celluloſa, quam cum chorio. Hujus faciei uterinæ copioſiſſima in aliis nectuntur filamenta, nunc in magnos, nunc in parvos faſciculos congeſta, quæ flatu immiſſo in cellulas elevantur. In aliis haec filamenta integram *Membranam* conſtituunt, *Filamentoſam* dicendam, celluloſam, craſſam, opacam, albidam. Verſus placentam craſſior fit haec membrana, mucoſa quaſi, pro lubitu in multas lamellas & fruſtula dividenda; tandem ipſam intrat placentam.

§. V.

Placenta, corpus rotundum, parvam quandoque gerens appendicem; diametri dimidii pedis & ultra, imo, ut vidi, integri; craſſitiei unius vel duorum pollicum in medio; arteriarum & venae umbilicalis propago; tota, quantum video, vaſculoſa, vaſis copioſiſſima celluloſa connexis. Hinc, ſpongiæ inſtar, aquam recipit & ſanguinem continet, compreſſa emittit. Flatu etiam in cellulas reſolvitur. Elota vaſa exhibet & fila celluloſa. Componuntur ex hiſce lobi, lobuli, celluloſa laxiore juncti, plurimi juxta ſe poſiti,

quidam ſibi invicem ſuperincumbentes, praecipue in margine, ut diceres, duplicem eſſe placentam, unam alteri ſuperimpoſitam. Superius ſtratum vaſa efficiunt majora, quorum maxima pulcherrime in ſuperficie per radios diſperſa eminent. Inferius componunt minora & capillaria, cellulæ copioſiores; quare ſubſtantia tota pulpoſa eſt. Frequentiſſimae ſunt arteriarum cum arteriis anaſtomoſes, venarum cum venis. Hae non raro in varices dilatantur.

§. VI.

Amnios & chorion ſuperficiem placentæ, quae foetum reſpicit, tegunt, arctiſſime connexæ. Membrana filamentoſa, in ipſam placentae ſubſtantiam continuata, faciem ejus uterinam cingit, non niſi minori rubore ab ipſa placenta diſtinguenda. Caeterum cellulae ejus cum placentae cellulis continuantur, ita ut his flatus immiſſus in illas penetret.

§. VII.

Mediante membrana filamentoſa laxius cum utero cohæret ovum; firmior eſt nexus circuli membranæ filamentoſæ craſſioris, vaſis majoribus obſiti; firmiſſime nectitur placenta. Firmant adhæſionem placentæ ſulci inter lobos, quibus eminentiæ uteri reſpondent. Nullam hinc in ovo ſeparando reſiſtentiam ſentit operator, niſi ubi circulus dictus incipit. Placentæ etiam ea pertinacia adhæret membrana ex chorio & amnio juncta, ut hæc ab illa non poſſit diduci, quin vaſa rumpantur & chorio annexa remaneant. Laxiores cohærent ipſae tum ſuper placenta, tum in reliquo ovi, & eo facilior eſt ſeparatio, quo propior a partu, calentibus & humidis membranis, inſtituitur. Longius a partu non niſi fruſta ſeparantur. *)

*) *Super placenta Uteri Tab. IV. & V. Iconum citt. chorion in duas lamellas diviſam obſervavi, quarum duplicatura majora placentæ vaſa comprehendit, tenuiorem alteram amnii vicinam, alteram placentæ craſſiorem.*

§. VIII.

§. VIII.

Si plures ſunt fœtus, quivis proprio includitur ovo, *) propria nutritur placenta, nunc ab altera penitus remota, nunc connata, quod quidem frequentius. Animantium quoque brutorum cuivis fœtui peculiare eſt ovum, & quodvis ovum pro unico foetu in ruminantibus plures comprehendit placentas *Cotyledones* dictas. In ovo vaccino ad centum numeravi, quarum maximæ renis humani, qualis in adulto eſt, magnitudinem exhibent, figuram referunt, qualis in fœtu comparet. Duplex cotyledonum *Subſtantia*, *Medullaris*, atque *Corticalis*. Uterina vaſa ad quamvis earum colliguntur in pedunculum oblongum, quem ipſa uteri ſubſtantia ambit continuata & utrinque ligamentum quaſi formans. In cotyledone diſperguntur rurſus vaſa, fiunt capillaria, *Subſtantiam* producunt firmam, albicantem, *Medullarem*, cujus ſuperficies geſtationis initio eſt plana, ſulcis dein notata, per gradus profundioribus & copioſioribus, quo magis partus appropinquat. His altera *Subſtantia* inhæret *Corticalis*, placentæ humanæ reſpondens, mollior, minus craſſa, fuſca, a vaſis umbilicalibus continuata, inæqualis in ſuperficie liberâ, ſimiles exhibens gyros, quales in corticali cerebri ſubſtantia obſervantur. Læviter cohærent iſtæ ſubſtantiæ, dum contiguæ ſuperficies planæ ſunt; ſulcis dein & foveis firmantur eminentias viciſſim recipientibus. Omni tamen tempore absque laceratione ſeparari poſſunt. Utraque ſubſtantia preſſa copioſum fundit liquorem lacteum.

*) *Annotavit jam* TH. WHARTON *adenographia Cap. XXXV. ubi de hoc argumento plura, pro ſuo more egregia, diſputat.*

§. IX.

Chorion & amnios copioſiore cohærent ſubſtantia celluloſa, ex qua plures formare membranas poſſis. Simili modo, ut in homine, arctior celluloſa cum amnio connectitur, quam cum chorio; quare diductis membranis, cum amnio celluloſa avellitur. De-

currunt in celluloſa vaſa, *) tum majora, ab umbilicalibus ad cotyledones repentia, tum minora, frequentiſſimis anaſtomoſibus pulcherrimum rete exhibentia. Poſſunt hæc vaſa, una cum celluloſa, ab amnio ſeparari, ut hæc pellucida maneat. Quamvis cotyledonum inveſtiunt duæ illæ membranæ. Supergreditur eam amnios cum vaſis, ramificationes intromittentibus; infra illam repit chorion, & ad conjunctionem ſubſtantiæ medullaris cum corticali finitur.

*) *Hac vaſa in brutis obſervata & in hominem translata*, VESALIVS *numeroſa & magna in tunica amnio humana depingit. in L. V. de humani corporis fabrica Fig. XXX. Tab. I. II. III. IV. cf.* ISBR. DE DIEMERBROECK *Anat. Corporis humani L. I. Cap. XXX. app. p. 211.*

§. X.

Quodſi in cadavere humano liquidum quoddam, ſive ſubtilius, ſive craſſius, per uterina vaſa, præcipue venoſa, immittitur, placentâ nondum ſeparatâ, in celluloſam placentæ ſubſtantiam diffunditur. Unde fit, ut placenta ſeparata plena deprehendatur materiae per uterum injectæ. Experimentum hoc quibusdam non obſcurioris anatomicorum nominis illuſiſſe videtur, qui ſe in placentam per uterum injeciſſe crediderunt. *) Cum autem nullus eorum per uterum repleverit vaſa umbilicalia, certo-certius replenda, ſi materia injectionis in vaſa placentæ penetraſſet; nullus anaſtomoſin placentæ vaſorum cum uterinis, ſaltem ex hoc experimento, probavit immediatam. Nec melius res ſuccedit, ſi per arterias umbilicales facta fuerit injectio. Minime enim uterina vaſa inde replentur, ſed materia injectionis redditur per venas umbilicales, cum placenta fuerit integra atque illaeſa. **)

*) *cf. Cel.* WILH. NOORTWYK *Uteri humani gravidi anatome & hiſtoria. Tab. I. & II.* ILL. HALLERUS *Prim. lin. Phyſiol. §. DCCCXXX. Idem eſt experimentum* Hommelianum *apud* Hölling *Diſſ. de officio obſtetricantium in partu naturali p. 16.*

**) *cf.*

**) *cf.* BERGER *de Natura Humana. L. II. C. II. p. 473. ed. francof. 1737.* HOFFMANN. *Med. Rat. Syſtem. L. I. S. II. Cap. XIII. §. 8. Schol. p. 245.*

§. XI.

Cum rara mihi nondum obtigerit fortuna, ut gravidum humani corporis uterum curatius examinarem; faventiorem tamen ſperans, *) in vaccino tentamen feci. Quem quidem recepi recentiſſimum, integerrimum, atque materiam injectionis ſubtiliſſimam. Hanc immiſi per arteriæ umbilicalis ramum; cunctarum, quas adiit, cotyledonum integram replevit ſubſtantiam corticalem, ne guttula autem in medullarem penetravit. Tota repleta ſubſtantia corticali fortius urſi, nec tunc in medullarem impuli; ſed copia materiæ, effluentis per orificia corticalis ſubſtantiæ medullarem reſpicientia, has ſubſtantias a ſe invicem ſeparavit. Superficies ſubſtantiæ corticalis medullari contigua egregie retulit tunicam inteſtinorum villoſam, materia injectionis repletam, vaſis exhalantibus ea materia turgeſcentibus. In ſulcis autem medullaris ſubſtantiæ hæſit materia effuſa, cujus ne quidem leviſſima guttula vaſa ſubiit.

*) *Frequenter abhinc examinavi & parem experimenti ſucceſſum, vaſa nempe uteri & placentæ anaſtomoſibus non conjuncta, obſervavi. cf. Icones meæ uteri humani.*

§. XII.

Intra membranas *Liquor* continetur mucoſus & craſſus (in vaccis fila trahens), cujus notabiles pro foetu uſus ſunt: quem nempe tuetur, ne vel a contractione uteri, vel muſculorum abdominalium & diaphragmatis actione, vel vi quadam externa laedatur. Orificium etiam uteri minus late patet, quam ut fœtui concedere tranſitum poſſit. Clauſtra itaque ſunt reſeranda, quo quidem officio aqua membranis incluſa facillime fungitur. Doloribus con-

tracto

tracto utero aqua mobilis, preſſa, qua data porta erumpere conatur. Quam ad uteri oſtium inventam intrat, cunei inſtar dilatat, diſtrahit, eo quidem magis, quo ſæpius dolores recurrunt, & diutius membranis aqua manet incluſa. Tandem nimium diſtenſæ membranæ rumpuntur & latices proſiliunt. *) Hem! Quam bene agunt, qui præmatura laceratione membranarum artificiali partum accelerare ſtudent.

*) *cf.* IOH. VON HOORN *Siphra & Pua.* *P. I. C. XII. p. 48.* BOERHAAVE *Prælect. academ.* *§. DCLXXXV. p. 393.*

§. XIII.

An Amnii Liquor nutritioni Fœtus ſervit? Equidem in cuncta argumenta non inquiro *); dicam ſaltem me in fœtu vitulino circa penultimum geſtationis menſem obſervaſſe **), cum adhuc in utero hæſiſſet, linguam ex ore propendentem, ipſiſſimo amnii liquore plenum os, oeſophagum atque ventriculos. In humani quoque fœtus perfecti ventriculo ſemper inveni liquorem albidum, ſimilem liquori amnii, ſatis quandoque copioſum. Neque tamen inde concluderem, hos liquores fœtum nutrire. Cum in vitulo continuus ex amnii cavitate in ventriculos fuerit rivulus & lingua propendens, dubium non eſt, hunc liquorem ab amnii aqua proveniſſe. Forſan autem impulſa fuit ab externa compreſſione: multum enim uterus ille vaccinus fuit contrectatus. Fœtui humano liquor ille nutritioni proprius non videtur, ſiquidem fere ſemper ab infante recens nato vomitu rejicitur &, niſi naturæ beneficio iſta ſucceſſerit rejectio, arte eſt promovenda; ſi quidem malis a retento iſto, liquore oriundis proſpicere animus eſt. Pari hic etiam, ut in vitulo, locus eſt conjecturæ. Actus deglutitionis voluntarius nimis temere fœtui adſcriberetur; vi intruſus ſit, neceſſe eſt, liquor. Per totum prægnationis tempus nulla vis adeſt, niſi mater violentiam a lapſu, ictu &c. fuerit paſſa; ſemper autem in partu eſt præſens. Antequam membranæ rumpuntur, uterus, per repetitas vices doloribus fortiter contractus, contentum liquorem fortius premit: quin

quin adeo per os in ventriculum detrudatur, nil impedit; cum dolorum momentum multum ſuperet actionem muſculorum pharyngem atque cardiam fœtus claudentium. Eadem etiam vi, quod liquoris reliquum eſt, poſt membranarum ruptionem, impellitur, cum caput prævium integrum pelvis oſtium præcluſerit.

*) *Cf. Med. Eſſays of a Society of Edinburgh. Edit. III. Edinburgenſ. T. I. Eſſ. XIII. p. 139. ſqq. T. II. Eſſ. IX. X. & XI. p. 102. ſqq. Illuſtr.* HALLERI *Præl. Acad. T. V. P. II. p. 347. ſqq.*

**) *Similis eſt obſervatio Cel.* HEISTERI *Comp. Anat. not. 20. ed. 2.*

§. XIV.

Frequens eſt obſervatio fœtus *hydropici*, rara autem membranarum *): qualis cum mihi fuerit oblata, eam *hoc* loco recenſere liceat. Fœtus ipſe fuit maturus, perfectus, fœmininus, partu naturali, ſolito non magis laborioſo, excluſus, jam per aliquod tempus ante partum demortuus; cujus quidem rei epidermis a leviſſimo tactu ſecedens indicium fuit. Facies livido fuit fœdata colore, occiput permagnum, inter cutem & cranium contenta partim lympha, partim ſanguine ſuffuſo, fluido. Lividum quoque circa occiput pericranium, livida illius loci dura mater. Leucophlegmaticum integrum corpuſculum, maxime in facie & dorſo. Aqua non adeo copioſa in pectore & abdomine fluctuavit. Inter amnion & chorion diffuſus liquor gelatinoſus, inæquali hinc inde copia, vitreo oculi humori ſimillimus, ab alcohole & aqua fervente coactus, ſeparatis chorio & amnio non diffluens, ſed, etiam poſt octiduum adhuc, cum membranis & placenta in aqua frigida ſervatus, gelatinæ in modum ſubſiſtens atque tremens. Magna hujus gelatinæ copia placentæ circumfuſa, ſuper placentæ corpore magnorum replens interſtitia vaſorum, nulla ubi hæcce decurrunt, nulla in ipſius placentæ corpore. Equidem de urina hic eſſe cogitandum non puto, quae minime gelatinoſa eſt, ſed tenuis & aquoſa. Lu-

 culen-

culenter contra cellulоſam harum partium tunicam demonſtrat, quae laxiſſima eſt inter membranas circa placentam, ſtrictior cæteris in ſedibus, ſtrictiſſima ad decurſum majorum vaſorum & in fune umbilicali. **)

*) *Forſan hujusmodi eſt, quæ recenſetur in Commerc. Liter. Norimb. Ao. 1732. hebd. XXXVI. p. 282. no. III. it.* LITTRII *in Mem. de l'Acad. Royale des Sciences. Ao. 1701. p. 78. ed. Par. cf.* RUYSCH. *Theſ. Anat. V. no. 57. & Theſ. X. no. 155. Interea etiam temporis in uteri ſuilli ovo quodam, ſimilem gelatinam, velamentis filamentoſæ & chorio, huicque & amnio, interfuſam obſervavi, haud parcam.*

**) *An ex effuſa iſta gelatina ante partum, quando integrâ membranâ amnio chorion laceratur,* aquæ ſpuriæ *oriuntur?*

§. XV.

Nuperrime etiam liquorem, inter placentæ ſubſtantiam ipſam & membranam e chorio & amnio junctam effuſum, obſervavi. Placenta, cæteroquin ſana, ad latus funiculi umbilicalis, adeoque in ſuperficie, quæ fœtum reſpicit, veſicam gerebat ovatam, liquore ad dimidium plenam, cujus diameter major trium circiter pollicum erat, minor unius cum dimidio. Liquor contentus, verſus funiculum preſſus, ductum in hoc elevare videbatur, quin etiam flatus per foramen inflictum immiſſus: ita ut ab externa ſpecie judicans de alantoide ſuſpicari omni jure potuiſſet. Apertam autem veſicam peculiarem non continere membranam vidi. Ductus etiam nil niſi altera fuit arteriarum umbilicalium, a veſica infra funiculum progrediente elevata. Veſica ipſa, quoad maximam circumferentiæ partem, formabatur a tunica placentæ, ab ipſo placentæ corpore hic ſeparatâ, & in veſicæ ſpeciem dilatatâ, cujus fundum ipſa placentæ ſubſtantia conſtituebat. Facillimo chorion negotio ab amnio in hujus veſicæ membrana mihi licebat diſtinguere, & ſuper placentam continuare (cf. §. VI.). Vaſa etiam majora in interiore chorii ſuperficie ſuper veſicam progrediebantur (cf. §. VII.). Fundum replebat ſcirrhus mollior, aliquot lineas craſſus, flaveſ-

flaveſcens, qualis in magnorum ſcirrhorum extremisatibus eſſe ſolet. Contentus liquor erat itidem flaveſcens, tenui puri ſimilis, minime urinoſus. Patet ergo hunc liquorem non fuiſſe urinam per urachum deductam. An huiusmodi obſervationes quandoque pro detecta alantoide fuere venditatæ? De Littriana §. pr. citata fere non dubitandum.

§. XVI.

Spirali ductu excurrit *Funis* in homine, quare extendi poteſt. Sulcis notatur in longitudinem porrectis, raro ad cylindri menſuram exactus. Duas diametri æqualis arterias complectitur, rariſſime unicam, (qualem tamen vidi duplæ amplitudinis) unicam autem venam, diametri multo majoris, fere duplæ. Interſtitia cellulosa nectit firma, cellulis gelatina, in recenti facile exprimenda, repletis. Coagulatur hæc celluloſa cum ſua gelatina ab alcohole & aqua fervente, contrahitur &, ſi fruſtulum abſciſſum fuerit, utrinque eminent tria ejus vaſa. Turgeſcit macerata & aquam reſorbet. Gelatina hæcce inter vaſa diffuſa quandoque juſtam proportionem multum excedens craſſitiem funiculi ultra modum auget, ita ut, licet arcta fiat ligatura, poſtea exſiccata ſubſtantia intermedia & contracta, ſanguis, niſi ſumma adhibeatur cura, effluxurus ſit. Obſtetrices talem funiculum vocant, Eine fette Nabel-Schnur. Contraria ratione dicta gelatina ſubinde nimis deficit, ut vaſa transpareant, funis ſit tenuis, rubicundus, facillime rumpatur & ligatura, niſi filo lato cautiſſime fiat, integrum funem ſcindat, præcipue ſi filo facta fuerit duriori. Lethales non nunquam inde obſervantur hæmorrhagiæ. Funis talis audit, Eine blutige Nabel-Schnur.

§. XVII.

Quodſi flatu turgeant arteriæ, aut materiæ ceraceæ ſint plenæ, prope placentam paulo capaciores apparent, quam prope umbilicum. Membranam cingentem funiculus recipit ab amnio & chorio continuatam. Extima adeo amnios, intima chorion. Il-

la hic loci tenerrima, hæc craſſa, fortis, imo cornea. Intrat funis placentam raro in medio aut margine, (utrumque tamen uſu mihi venit) ad latus frequentiſſime. Hac ratione facilius avellitur, cum tota parti vis impendatur; qua ſoluta, reliquæ ſua ſponte ſequuntur. *) Gaudet funis longitudine inſigni, ut cuivis fœtus motui cedat, atque hic absque ejus laceratione emitti in lucem poſſit.

*) *cf.* ABR. VATER *Diſſ. de Utero gravido. P. II. T. IV. p. 27.*

§. XVIII.

In vacca, & plurimis brutis, binæ etiam in funiculo venæ reperiuntur, ad umbilicum ita unitæ, ut unica hepar intret. Arteriæ & venæ in illa fortes, fere cartilagineæ, laxiore cohærentes celluloſa, nullam continente gelatinam. Duplicatura amnii & chorii in uteri circumferentia receptaculum facit urinæ rutilantis, limpidæ, ſpumantis, copioſæ, ad quatuor cantharos & ultra: vocant illud *Alantoidem.* *) Continuatur in medium funiculi, pliis ad introitum formatis, in canalem mutatur amplum, qui digitum ſaltem lumine ſuo admittit, ſenſimque ad umbilicum in pennæ anſerinæ diametrum contrahitur. Multo brevior in brutis ac in homine eſt funiculus, minus quoque ſpiralis, penitus quippe in rectitudinem protenſus.

*) *cf.* LAUR. HEISTERI *Obſ. de Tunica alantoide vaſorumque ejus nova delineatione in Ephem. Nat. Cur. Cent. V. & VI. Obſ. XXIV. p. 231. Craſſus eſt* MAURICELLI *error, qui in vacca aliisque brutis unicum foetum edentibus, alantoidem ex propriis, ut ait, obſervationibus negat. Malad. d. fem. groſſes. L. II. Cap. III. p. 218.*

§. XIX.

Intra umbilicum diſcedunt a ſe invicem hæc vaſa; *Vena* quidem ad hepar, ſanguinem huc ex placenta derivans, abit. Quæ ubi abdo-

abdominis cavitatem intravit, intra duplicaturam peritonæi aſcendendo ſub hepatis ponte, ſi quidem adeſt, vel in fiſſura pergit ad venæ portarum ſinum: unde ſanguis non ſolum per omnes hujus ſinus ramos diſtribuitur, ſed & *Canali* continuato, cui a *Gliſſonio* nomen, in cavam venam penetrat. Multo minor eſt hicce canalis vena umbilicali, ut non niſi quædam ſanguinis portio tranſiper illum poſſit. Reliqua adeo in hepar dimittitur, inde per venas hepaticas in cavam delata, & cum priori rurſus confuſa.

§. XX.

Per brevem venæ cavæ truncum ſanguis in dextrum cordis ſinum congeſtus, adultorum quidem lege, per ventriculum in pulmonis arteriam, arteriolas, capillaria vaſa ultima eſſet deferendus omnis: niſi pulmones nondum expanſi, eorumque minora vaſa, tranſitum prohiberent. Lateralem adeo hic aperuit portam natura, in ſepto inter dextrum & ſiniſtrum ſinum, quæ *Foramen Ovale* audit. Eſt ea rotunda, margine craſſo, polito, duriuſculo, in ſiniſtro ſinu membranâ, quæ corniculis firmatur, obtecta integre, mobili proinde hac regula; ut, a fluido ſiniſtrum ſinum petente a lateribus dimota, liberum ſanguini introitum concedat. Cum ſanguis in dextrum ſinum deſcendere conatur, *Valvulæ* vicem illa gerit, ad parietes firmatur, oſtium claudit, ne rimulam quidem linquens apertam. Unde fit, ut ſolus ab hepate accedens cruor hoc iter aperiat ſibi.

§. XXI.

Sanguinis quæ reliqua pars eſt pulmonum intrat arteriam. Aſt quantum hic ab adultis mutata facies! Arteria hæc ad ſiniſtram magnæ progrediens ramos ſpargit in dextrum atque ſiniſtrum pulmonem. Diſtributis his ramis procedendo latus aortæ legit; infra egreſſum ſubclaviæ ſiniſtræ ad angulum acutiſſimum illi jungitur; unum communem truncum cum ea facit, aortam nimirum deſcendentem. En altera, quæ pulmones prætergreditur, via! Vocatur ea *Ductus*

Arterioſus Botalli. Si bene quidem viderim, peculiaris ductus non eſt; ſed aorta deſcendens duplicem trahit originem, ſimillima cholidocho ductui, alteram ex dextro ventriculo, ex ſiniſtro alteram. Ambæ uniuntur ad linearum aliquot diſtantiam infra arteriam ſubclaviam, in toto progreſſu contiguæ, Lateraliter è radice originis dextræ diſcedunt rami in pulmones: truncus eſt cenſendus ex directione & diametro; canalis qui aortam petit. Nec tamen futuram fragilitatem poteſt celare. Ex quo pulmonales ramos dedit multo fit tenuior ejus paries, arterioſo plane diſſimilis, transparens, facilime lacerandus. Hinc & a materia injecta multum diſtenditur & ampliatur, imo, ſi nimis caleat materia, combuſtus penitus dilaceratur. Fortis tunica minus naturæ inſeruiiſſet ſcopo. Tenuis enim facillime poſt partum collabitur *), concreſcit, viam claudit, nova in pulmonibus aperta. Robuſtior, collabi neſcia, lumen proinde liberum conſervans, ſanguinem nunquam non transmitteret. Altera itaque deſcendentis aortæ origo ex anteriori ventriculo procedit, altera ex poſteriori, pariaque utriusque in ſanguine promovendo jura ſunt. Ita intelligitur, cur in foetu ſubſtantia utriusque ventriculi robore & craſſitie vix differat, quæ in adulto diverſiſſima eſt, ſiniſtri ventriculi robore dextrum haud parum ſuperante. Quodſi itaque transverſim cor foetus perſcindatur, ſolo ſitu ventriculi diſcernuntur, habitu fere iidem; quum in adulto carnoſior alter, ſeu poſterior, tanquam cordis fundamentum, tenuiori altero, ſeu anteriori, tanquam mobili velamento ambiatur.

*) *Hinc & tam cito poſt partum coaleſcit. cf. Ill.* HALL. *Præl. T. V. P. II. p. 467. ſqq.*

§. XXII.

Subtracta ſic maxima ſanguinis portione, minima pulmoni remanet. Hominis in lucem editi pulmones, a continuo aëris motu expanſos, integræ ſanguinis maſſæ tranſitum aperire nemo ignorat. Minus hoc fit in fœtu: quare pulmones parvi ſunt atque & collapſi, cor apparet luculentius, quam in adultis. Compacti ſimul pulmones

nes, ad tactum duriores, coloris rubicundioris, obſcurioris, aqua ſpecifice graviores, in eaque fundum petentes. Magni hæc proprietas æſtimatur in medicina forenſi, & fœtus intra uterum demortui habetur ſignum. Non audiendi ſunt, qui variis argumentationum armis certitudinem ejus debellare ſtudent. Facilis argumentorum eſſet refutatio, ſi prolixiori liceret eſſe.

§. XXIII.

Sanguis in aorta collectus omnibus partibus diſtribuitur, & ſuperfluus placentæ redditur per *Arterias Umbilicales.* Ubi ad quartam lumborum vertebram pervenit magna arteria, bifurcatur atque iliaca audit communis quivis ejusdem ramus. Continuatur hæc in illam, quæ umbilicalis nomine nota. Ramus exit femoralis ſeu iliaca externa. Duplo major diameter umbilicalis illâ femoralis; hinc lumen integrum quadruplo majus. Dum autem infans adoleſcit, ſenſim duæ iſtæ arteriæ æquantur, & pro duobus ramis ejusdem trunci ſunt habendæ. Umbilicalis in pelvim deſcendens, ubi verſus collum veſicæ venit, recurva ſurſum redit juxta veſicam, ad umbilicum usque ad ſodalem ſuam vergens in cellulofa, quæ inter muſculi transverſi tendinem & peritonæum intercipitur. Ita arcus naſcitur, convexitatem deorſum tendens, ex qua cunctæ pelvis arteriæ, præter hæmorrhoidalem ex meſenterica parva ortam, magnæ, parvæ, oriuntur. In adultis arcus hic evaneſcit, cum arteria umbilicali, poſtquam ultimos largita eſt veſicæ ramos; audit hypogaſtrica ſeu iliaca interna; terminatur in iſchiaticæ & pudendæ communi magno trunco; firmatur ad umbilicum ligamento, quod olim arteria fuerat.

§. XXIV.

Sunt iſta, breviſſime licet enarrata, præcipua tamen, quæ fœtum concernere videbantur. Multa tamen adhuc notari poſſent, quibus ab adulto diſtinguitur. Pauca leviter tangam. Univerſæ corporis partes, mollitiem offerunt, inprimis oſſa, quæ tam concin-

ne

ne magni nominis anatomicus *) deſcripſit, ut, quod quis addat, fere non ſuperſit. In muſculis proportio major carnum ad tendines obſervatur, eo minor per gradus quo magis adoleſcit homo. Vaſorum copia multum excedit, ſucceſſive adoleſcente homine imminuenda; quare & copioſiora pro iis foramina in oſſibus. Nervi & cerebrum pro ratione corpuſculi permagni ſunt.

*) *Cel.* ALBINUS *in tract. icones oſſium foetus humani.*

§. XXV.

Mamillæ in utroque ſexu tumentes, eminentes, papillæ magnæ: preſſas lac fundere ſæpius obſervavi. Liquorem lacteum etiam in aliis receptaculis reperi. Thymus tota illo turget, repletur eo uterus, tubæ atque vagina, magna ejusdem copia in cotyledonibus vaccinis. *) Magnitudo quorundam viſcerum ſatis nota. Veſicula fellea in adultis pyriformis, in fœtu cylindracea, ad utramque baſin fornicata, liquoris plena, nunc flavo virideſcentis, nunc multum viridis, marginem hepatis non attingit. Deficit ex inteſtinis dictum cœcum. Coli quippe principium, magis magisque gracileſcens, in proceſſum vermiformen degenerat. Ejus ligamenta tendinea valde tenuia; hinc cellulæ minus profundæ. Color inteſtinorum non inflammatorum, expurgatis excrementis, albicans, maxime in tenuibus, minime in recto, quod non libenter viridem, a meconio contractum, exuit. Ex rubicundo-niger eſt in inflammatis. Lien obſcure rubicundus, & quantum apparet, ejusdem fere ac in adultis proportionis, vel ſaltem, ad hepatis rationem, major.

*) *Liquorem etiam lacteum, placentas inter & uterum ſuillum effuſum obſervavi.*

§. XXVI.

Oculi cornea cœrulea, non ſolum proportione oculi, ſed & reapſe cornea craſſior adulti. Pupilla obducta, præcipue in immaturis, membrana magno anatomico *) deſcripta. Sæpius eandem vidi in fœtu humano, ſemel & in vitulino: nec adeo difficile eſt eandem detegere, quamvis ejus vaſa materia ceracea non ſint repleta. Quo quidem in negotio ita verſandum eſſe puto: Cautius eximatur

humor

humor vitreus atque cryſtallinus, perforetur cornea, mittatur flatus in cameram anteriorem, elevabitur verſus poſteriora membranula tenerrima: vel & dirigatur *) flatus à camera poſteriori, non penetrabit in anteriorem, ſed verſus anteriora attolletur membranula. Choroidea, ſi pigmentum nigrum abſtuleris, pulchre rubicunda & mucilaginoſa eſt. Humores, quales in adultis. In palpebris inteſtinula Meibomiana copioſiſſima totam ſuperficiem internam tegunt, optime conſpicua. Palpebræ ipſæ & ſupercilia multum tument.

*) *Ill.* HALLERO *in Actis Upſal, Ao. 1742. no. 5. p. 47. ſqq.*

§. XXVII.

Prolixa ſemper inter anatomicos de *Uracho* diſceptatio fuit. Solidum illum eſſe autumati ſunt plerique *); quidam cavum ſe deprehendiſſe faſſi ſunt. Quare, fœtuum ſecandorum opportunitatem nactus, in hanc rem accuratius inquiſivi. Irriti fuere primi conatus. Veſicam replevi mercurio vivo, quem magna vi verſus urachum preſſi; intravit nihil. Abſcidi tunc dictam papillam in veſicæ cavum eminentem, ad modum Ridleji, rurſus mercurium imprimere tentavi, nec tunc ſucceſſit negotium: multo minus ſtylo vel flatu detegere canalem potui. Alia proinde via incedendum exiſtimavi. Quare in longitudinem urachum aperui, & quid intus contineatur examinavi. Reperi eſſe eum continuationem fibrarum veſicæ longitudinalium, muſculoſarum, in quarum medio craſſior, magis albida abſconditur alia. Eam forſan peculiarem eſſe canalem ſum ſuſpicatus, nec cogitatio me fefellit. Siquidem eam cum ipſa veſicæ membranacea ſubſtantia continuatam vidi. Detecto canali cunctas muſculares fibras removi, nec amplius oſtium in veſicam difficile repertu fuit: facilis etiam intromiſſio ſtyli, ſetæ, flatus, liquorum.

*) *Cf. Ill.* HALLER. *Præl. T. V. P. II. p. 365. ſqq.*

§. XXVIII.

Sequentia autem præcipue notatu digna obſervavi.

1°) Ipſe urachus eſt corpus conicum, in baſi ad veſicam diame-

tri fere umbilicali arteriæ æqualis in homine, majoris in vitulo & brutis: ad umbilicum in homine in membranulam extenuatur.

2.° Oritur ex fundo veſicæ, atque medius inter arterias umbilicales, recta via, aſcendit ad umbilicum in cellulosa, quæ inter muſculi transverſi tendinem & peritonæum media eſt.

3.° Manifeſtiſſime in brutis veſicæ eſt continuatio in canalem illum, qui in fune medius hæret inter vaſa; tenuior tamen ipſa veſica tenui; itidem conicus.

4.° In homine canalis reconditus etiam & conicus, latior ad fundum veſicæ, in acumen deſinit ad umbilicum.

5.° Conſtrictus tamen ita eſt ad ortum ex veſica, ut vix tenuiſſimum ſtylum admittat.

6.° Mercurio repletus canalis totus apparet tortuoſus & ſpiralis: præcipue magna eſt curvatura prima, fere integre ad veſicæ fundum reclinata.

7.° Verſus umbilicum canalis adeo tenuis evadit, ut a fibris muſcularibus vix queat diſcerni.

8.° In ipſum funiculum umbilicalem difficulter continuatur, minori voco negotio ipſa funiculi ſubſtantia in continuati urachi ſpeciem ſcalpello formatur. Aliquoties tamen urachum ipſum ad tres usque pollices in funem deduxi, & animadverti, ſerpentinum ibi eſſe, ſuperficiem funis legere & inſtar radii extenuari; quin ultra pollicem mercurium eodem impuli in recondito canali, idque in maturi æque ac immaturi fœtus fune.

9.° Papilla vel valvula ad ortum ex veſica proprie non adeſt, ſed ipſa urachi ſubſtantia preſſione intra veſicam elevari poteſt.

§. XXIX.

His cognitis nunc prodere cauſam licet, cur integri urachi mercurius vel flatus canalem non intrat. Quodſi enim mercurio plena veſica comprimatur, fibræ muſculares in longitudinem porrectæ

porrectæ trahuntur, hæ tractæ curvaturam canalis primam (n.° 6. §. pr.) fundo veſicæ firmiter applicant, latera canalis ad ſe invicem premunt, omnem tranſitum occludunt. Cumprimum autem fibræ iſtæ muſculares removentur, canalis fit liber & quicunque liquor poteſt immitti.

§. XXX.

Cum præſens ſpecimen jam prelo committere animus eſſet, ex novellis Gœttingenſibus n. 22. didici Dn. Dr. Noreen circa urachum experimenta inſtituiſſe, eaque in Diſſertatione inaugurali evulgaſſe, cui titulus: *De mutatione luminum in vaſis hominis naſcentis, in ſpecie de uracho. D. VI. Dec. 1749.* Qua poſtmodum potitus, maxima cum voluptate ejus experimenta eodem redire cognovi. Neque vero dubium porro fore exiſtimo urachi canalem, cum experimenta diverſis in locis inſtituta optime ſibi conveniant. Mea vero, ſiquidem juvenilia, ſi minus certa quisquam putaverit; illa tamen, magni quippe Halleri auctoritate nixa, firma manebunt: Cujus quidem Illuſtris viri in obſervando fides meo non eget calculo.

§. XXXI.

Canalem adeſſe perſuaſus licet, uſum tamen in homine ignoro. Superfluam eum ex veſica urinam deducere nollem aſſerere. Peculiare nemo hactenus vere, quo deduceret, detexit receptaculum: nec hoc fluxu opus eſſe crediderim, cum in veſica ſemper pauxillum tantum urinæ invenerim, ne quidem quartam veſicæ partem replentis. In vitulino contra fœtu veſica repleta eſt integra. Nec videtur per eum urina in funiculum deferri: gelatina enim funiculi multum differt ab urina, illa ab alcohole & aqua fervente cogitur, urina minus. Ut uſus urachi detegatur, non negligenda eſt canalis figura ſpiralis cum ortu anguſto, quæ & in aliis corporis humani canalibus obſervatur fluidum non ſemper vehentibus; præcipue in tubis fallopianis, nec non in ductibus lactiferis intra mammarum papillas, atque canali cyſtico. An aliquid ex urina fœtus ſeparat & in funem deducit?

FIGURARUM EXPLICATIO.

FIGVRA I.

Urachus foetus perfecti.

A. A. Veſicæ urinariæ fundus.
B. Fruſtulum ligni ad ſublevandum fundi terminum ſuppoſitum.
C. Membranacea fundi pars, remotis fibris muſcularibus.
D. D. Fibræ muſculares veſicæ longitudinales in urachum continuatæ.
E. E. Urachus in medio in longitudinem apertus, in planitiem diductus.
F. Canalis intra urachum abſconditus.
G. Canalis ortus ex veſica.
H. Terminus ubi cum fibris muſcularibus confuſus apparet.
I. Seta intromiſſa.

FIGVRA II.

Urachus infantis octo dierum.

A. Veſicæ urinariæ fundus.
B. B. Arteriæ umbilicales.
C. D. E. H. ut fig. I.
F. Canalis intra urachum abſconditus, tortuoſus, mercurio repletus.
G. Canalis ortus anguſtus ex veſica.
I. I. Filum ligans partem fundi, ne mercurius effluat.

FIGV-

FIGVRA III.

Foetus perfecti fœminini genitalia.

A. Uterus in longitudinem apertus.
B. Craſſities uteri.
C.C. Ortus tubarum atque ligamentorum teretium.
D.D. Ligamenta teretia.
E.E. Tubæ fallopianæ, altera ſurſum verſa, altera deorſum 1).
F.F. Fimbriæ 2).
G.G. Ovarii ſuperficies prima 3).
H. Ovarii ſuperficies ſecunda.
I. I. Vaſorum ſpermaticorum inſertio.
L. L. Portio ligamenti lati inter ovaria & tubas.
M. Columna cervicis uteri poſterior.
N. Columna cervicis uteri anterior.
O. Valles duæ intermediæ laterales.
P. P. Inde ſurſum procedentia juga & valles intermediæ.
Q. Craſſities cervicis 4).
R. R. Spatium circulare inter os uteri in vaginam propendens & vaginam ipſam 5).
S. Vagina aperta latus ſiniſtrum verſus.
T. Vaginæ craſſities.
U. Columna vaginæ poſterior.
V. Columna vaginæ anterior.
W. Colliculus a ductu urethræ in veſicam.
X. Orificium urethræ.
Y. Hymenis pars diſſecta 6).
Z. Hymenis pars diſſecta altera.
a. a. Lacunæ glandularum ante hymenem ſitæ, & frenula intermedia in hymenem producta.
b. Ortus hymenis circa urethræ orificium.
c. Frenulum 7).

d. d. Alæ. ſ. Nymphæ.
e. Clitoris.
f. f. Labia ſinus.
g. Monticuli veneris particula.
h. Ani orificium.
c -- h. Perinæum 8).
i. Inteſtinum rectum.
l. Veſica urinæ.

1) *Specioſiores ſunt in fœtu gyri tubarum ſerpentini, quam in adultis. In figura aliquatenus expanſæ conſpiciuntur.*

2) *Harum orificium etiam in fœtu facile ſtylum vel flatum admittit.*

3) *Longum eſt ovarium, ſi proportionem reſpicias cum ovario adulti; utrinque in acumen fere deſinit. Tria ei ſunt latera & tres anguli. In figura non potuit exhiberi latus tertium, maximum; cujus medio impreſſus eſt ſulcus pro inſertione duplicaturæ ligamenti lati & vaſorum ſpermaticorum. Subſtantia ovariorum eſt alba, ad ſpeciem homogenea; quare neque veſiculas in ea diſtinguere licet, neque corpora lutea.*

4) *Cervix uteri utero ipſo multum eſt craſſior, ita ut bulbum eminentem formet.*

5) *Os uteri in fœtu rugis longitudinalibus & ſquamatim compactis totum diſtinguitur, quin in margine crenatum dividitur.*

6) *Circa hymenem multum contracta eſt vagina. Striæ etiam transverſae, à columnis lateraliter diſcedentes, verſus hymenem ſenſim in obliquas & magis longitudinales mutatæ contrahuntur.*

7) *Frenulum exhibetur in figura diſſectum: integrum ſtrictum & tenſum ſcapham abſcondit profundam.*

8) *Hoc in fœtu majoris eſt proportionis, quam in adultis.*

FIGV-

FIGVRA IV.

Foramen ovale a latere ſinus dextri.

A. Cor.
B. Auricula dextra.
C. Sinus dexter apertus.
D. Vena cava ſuperior.
E. Pars ſinus ſiniſtri a poſteriori conſpicua.
F. Introitus in auriculam & ventriculum dextrum, ſinu parum reclinato.
G. Sinus dexter verſus cavam inferiorem abſciſſus.
H. Valvula foraminis retro foſſam ovalem conſpicua.
I. Annulus foſſæ ovalis.
K. Oſtium a diducta valvula. *)
L. L. Vaſa coronaria delineata obiter.
M. M. Pars valvulæ Euſtachii expanſæ leviter conſpicua.
N. Venæ coronariæ orificium.
O. Elevata ſeu convexa regio anterioris partis ſepti **).
P. Depreſſa ſeu cava regio ejusdem.

*) *Quodſi cor relinquatur in ſitu intra thoracem, atque caute aperiantur ſinus, hoc oſtium non apparet, ſed penitus a valvula clauditur foramen. Quod quidem in vivis multo magis obtinere, tono fibrarum adhuc integro, dubium eſſe nequaquam poteſt. Oritur hoc oſtium a diducto ſepto, ut eo melius delineari figura poſſit.*

**) *Cf. Cel.* TREW. *Diſſ. Epiſt. de Differ. inter hominem natum & naſcendum. Cor. X. p. 57.*

FIGV-

FIGVRA V.

Foramen ovale a latere ſinus ſiniſtri.

A. Cor.
B. Auricula ſiniſtra vix apparens.
C. Sinus ſiniſter apertus.
D. Vena cava ſuperior.
E. Pars ſinus dextri a poſteriori conſpicua.
F. Introitus in auriculam & ventriculum ſiniſtrum.
G. Septi ventriculorum fiſſura & vaſa coronaria delineata obiter.
H. Valvula foraminis pellucida.
I. Columnulæ ſupra foramen ovale ſitæ.
K. Oſtium a diducta valvula.
L. Corniculum majus *).
M. Corniculum minus.

*) *In hoc quidem ſubjecto ſiniſtrum ſ. inferius corniculum majus eſt, cum ſæpius dextrum, ſ. inferius alterum magnitudine ſuperet. cf.* ILL. HALLERI *Icon. foram. oval. not. 8. & 9. Attamen inferius, ceu & alias ſolet, rectius eſt, ſuperius vero redit contra ſocium ſiniſtri lateris inque unci formam flexum finitur. cf.* HALLER. *l. c. Utrumque in hoc ſubjecto unicum ſ. ſimplex eſt.*

DECA-

DECANVS ORDINIS MEDICI

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

I. G. R. D.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE

MEDICINAE CANDIDATI

IESAIAE IUDAE

NECCARO-ULMENSIS

NATIONE HEBRAEI

D. APR. A. R. S. MDCCLVIII

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSIS

DE

FOETU

OBSERVATIONIBUS.

N

I.

Liquor amnii.

Ut liquoris indolem cognoſcerem, in naturali & maturo partu, cum ex ſinu veſica pomineret, hac inciſa ejus copiam aliquoties excepi, puri & vaginæ muco aliove liquore non ſpurcati. Fuſcus nunc liquor eſt, purus, cum parcioribus flocculis innatantibus: nunc flaveſcens, turbidus, lacteus, quaſi cum copioſo ſedimento levi, ſive flocculis albis; nunc turbidus & coloris obſcurioris, cum ſumma particularum impurarum copia. Nunquam non odor ingratus eſt & ſapor quandoque ſalſus, fere uti arcani duplicati. Poſtquam filtro liquorem puriorem ſeparaueram, pericula feci ſequentia.

1. Igne leni in gelatinam non cogitur, ſed in craſſi, tenacis & fœtentis muci naturam mutatur & omni fluido ſenſim exhalato cruſta fuſca & fœtens in teſta ſupereſt: perinde ac ſi mucus ignis vim expertus eſſet. Crematum gluten iſta cruſta & exhalantes vapores redolent. Incaleſcens ſuper igne copioſa ſpuma alba tegitur.
2. A gallarum infuſo liquor totus turbatur & parvi atque copioſiſſimi flocculi præcipitantur.
3. Ab alcohole minores flocculi præcipitantur, quam a gallarum infuſo, & lacteſcit liquor.
4. Ab aqua fervente liquor turbatur & flocculi minores ac pauciores, quam ab alcohole præcipitantur.
5. Cum ſpiritu vitrioli ſub miſcelam nubeculæ oriuntur, quales, quum ſpiritus vini aquæ admiſcetur, obſervantur.

6. Cum oleo tartari per deliquium inſigniores ſub miſcelam nubeculæ formantur, ſimiles illis, quas diſpergit vini ſpiritus admiſtus aquæ, quæ ſolutum ſaccharum continet.

7. Syrupus violarum liquori infuſus ſine coloris mutatione diluitur, mixtumque eas cum reagentibus mutationes patitur, quas ſolet ſyrupus aqua dilutus; v. g. cum oleo tartari per deliquium viridatur.

Vix, credo, nutrientem naturam deſcriptæ liquoris mutationes indicant, ſed mucoſam *). Omnia alia phænomena exhibent liquores albuminoſi, gelatinoſi, ſeroſi ipſumque ſanguinis ſerum **). Commode etiam amnii cavum cum folliculis mucoſis, maius licet ſit, comparatur, ſimili videlicet mora liquorem ſpiſſans. ***)

*) *Cf. Diſſ. Inaug. Cl. Doct. egregii olim Diſcip.* IOAN. FRID. GRUND *de Secretione §. 26. & 28. & de qualitatibus liquoris amnii ſub microſcopio obſervatis, doctiſſ. olim Diſcip. Cl.* PETR. ERNST. ASCH *Diſſ. Inaug. de natura Spermatis obſervationibus microſcopicis indagata. a. 1756. Obſ. LIII. ſqq. p. 76. ſqq.*

**) *Cf.* HERMANN. BOERHAAVE *Element. Chem. P. II. Proceſſ. CIX. ſqq. p. m. 339. ſqq.*

***) *Similia abhinc experimenta deſcripta ſunt in Eſſays and obſervations phyſical and Literary, read before à ſociety at Edinburg. Vol. I. p. 428. & Diſſ.* IO. LONGFIELD *de febre hectica. Edinburg. 1759. d. 12. April. (cf. Nova. Literar. Gotting. a. 1760. n. 134.)*

II.

Fons pulſatilis.

Vera & tenuiſſima cartilago nitens omnia oſſium, in cranio embryonis, fœtus & nati infantis, interſtitia replet, inde ab oſſiculorum cranii dentibus mediisque hiatibus producta: non minus iſta cartilago in ſuturarum regione, quam ad fontem pulſatilem deprehen-

prehenditur. Pericranium ægrius a cartilagine ſeparatur, quam a cranii oſſibus, ægerrime dura mater, quacum, ni cautus ſis, cartilaginem aufers. Craſſa cæterum eſt embryonum dura mater, ex duabus laminis, velut adultorum, compoſita, quarum craſſior eſt, quæ cranio nectitur, tenuis & vaſculoſa, quæ cerebrum tegit.

III.

Utrum ſub ſyſtolen ſinuum, an ſub diaſtolen foramen ovale aperiatur?

Facilis eſt reſponſio, ſi ad cornicula attendimus, quæ pendentem valvulæ partem, qua hiatus eſt, ad columnulas parietis intergerini, a latere ſinus ſiniſtri, firmant *). Is autem corniculorum poſitus eſt, ut attractis iisdem foraminis ovalis hiatus claudatur, laxatis a minima vi valvula repellatur & aperiatur hiatus. Quo tempore ſinus contrahuntur, parietum fibræ tenduntur & tenſæ fibræ parietis intergerini cornicula trahunt. Quum ſinus laxantur, laxantur fibræ parietis intergerini & cornicula cedunt. Ergo ſub diaſtolem ſinuum foramen ovale aperitur. Cf. Celeberr. TREW de differentiis inter hominem natum & naſcendum p. 75.

*) *Depicta ſunt illa cornicula in Diſſ. de fœtu perfecto Fig. V.*

IV.

Hernia umbilici congenita.

In recens nato infante mirus abdominis tumor apparet, vagit infans, ex ore naribusque, dum vivit, ſanguinem effundit & trigeſima quaſi a partu hora moritur. Sequentia obſervavi. Parvum & contractum abdomen eſt. Supra funem umbilici ex medio abdominis inſolitus tumor, ſemiglobofus, eminet, 2 pollices diametro ſuperans. Ex inferiore tumoris margine ipſe umbilici funis effertur. Comprehendit tumor, ſive hernia, mediam partem ſiniſtri lobi hepatis, paſſimque cum eiusdem ſuperficie convexa, a qua

 eleva-

elevatur, laciniis cohaeret. Ad ſedem dextram herniæ umbilici vena in arcum verſus umbilicum flectitur, qui ſuas arterias ſolito more recipit. Inteſtini ilei portio inferiorem herniæ ſedem explet, tum ad herniam laciniis iuncta, tum ad cavam hepatis ſuperficiem, cui ſimilem ſulcum impreſſit. Dextrum hepatis lobum, parvum & compreſſum, tumens ſiniſter amplitudine multum excedit. Qua parte herniæ hepar inſeritur, gangræna & nigredine foedum eſt. Irregularis eſt hepatis figura, copioſis & inſolitis inciſuris diſcerpta; innominatus lobulus non prominet; Spigelii lobulus velut appendix in poſteriora dirigitur, tegitque alium globulum minorem, lobulo poſteriorem; vena cava poſteriorem lobi dextri ſuperficiem legit longum in lobum ſiniſtrum ramum venoſum transmittens; nil in ſuperficie cava pro vena umbilicali ſulci eſt, quæ ad herniæ latus peculiari ſuperficiei convexæ inciſuræ inſeritur. Vena portarum in ſuetam inter lobos ſedem penetrat, in tres ramos diviſa, quorum duo ad dextrum lobum pertinent, tertius, longus, ad ſiniſtram ſedem ita flectitur, ut in media hepatis ſubſtantia cum umbilici vena in amplum receptaculum confluat, utrique lobo plures ramos ſubminiſtraturum. Exigua veſicula fellea profunde pone lobi ſiniſtri ſubſtantiam latet. Aëre tument inteſtina tenuia, & meconio craſſa, dextrum colon & transverſum, ita expanduntur, ut pollicem ſaltem diametro æquantia dimidiam fere abdominis, ſuperiorem videlicet partem, occupent, & ex ſede ſua naturali in anteriorem a transverſo colo hepar pellatur, ſola parte exigua in hypochondriis dextris relicta & lobulo Spigelii in medio. Maximus & inflatus aëre ventriculus totum, præter lienem, ſiniſtrum hypochondrium mediumque abdominis obſidet, longitudine tres pollices excedens, duos diametro æquans: pylorus contractus eſt. Paſſim cum ſepto transverſo curvatura ventriculi minor cohæret. Transverſo colo & ventriculo Spigelii lobulus inſeritur. Ruber ſanguis ante os hæret; nigricantem, mucoſam, ſecedentem, ſi eluitur, in maſſulas, materiem & e ſanguine procul dubio natam os, nares, œſophagus & ventriculus continent. Totum anterius infra cor diaphragma deſideratur, ea quidem forma, ut commune abdominis & pericardii cauum ſit

atque

atque circa diaphragma pericardii membrana in peritoneum protrahatur: ad dextrum cavi communis marginem ſuſpenſorium hepatis ligamentum deſcendit. Anterior diaphragmatis margo definitur transverſo faſciculo carneo, ex margine coſtarum dextro, pollicis a ſterno diſtantia, ad ſimilem ſiniſtrum pergente, ſesquialterum pollicem a ſterno diſtans *). Pone illum faſciculum vena cava ex thorace in abdomen erepit. Acutus & extenuatus cordis margo ante inflatum ventriculum ponitur.

Ex preſſione omnes iſtas mutationes derivare magis, quam ex conformationis præexiſtente typo, arduum non eſt **). Minus ad umbilicum in embryone obſtaculum, atque pellens vis viſcerum in abdomine comprehenſorum, facile efficiunt, ut diaphragma, qua ventriculo reſpondet, deſtruatur, expellatur hepar, infletur lobus ſiniſter in liberiori hernia, formaque hepatis, quando inſolito more creſcit & premitur, mutetur; cordis etiam margo ab inflato ventriculo compingatur. Minus profecto umbilici obſtaculum ex cutis in illa ſede defectu atque minorum herniarum, quæ digitalis formam referunt & inteſtini aliquid excipiunt, frequentia intelligimus. ***)

*) *Similem fere diaphragmatis habitum obſervavi in fœtu paraſitico. cf. Commentar. Societat. Gotting. T. IV. p. 192. & Tab. VI.*

**) *cf. Commentar. Societat. Gotting. l. c. p. 194. ſqq.*

***) *Similis fere eſt obſervatio D.* MARIGUES *in* VANDERMONDE *Recueil d'obſervations de Medecine, Chirurgie & Pharmacie, T. II. P. I. S. II. 2. cf. & Cel.* BERNH. SIGFR. ALBINI *annotat. academ. L. III. Cap. XVI. p. 97.*


V.

Funis umbilici in abdomen inſertio.

Memorabilis autem, præ cæteris obſervatis, eſt herniæ (§. pr.) tunica ejusdemque cum cute nexus, qui funis umbilici in abdomen inſertionem naturalem ſimul explicat; ſiquidem cutis continuatio herniæ tunica non eſt, ſed membranæ, quæ funem veſtit, expanſio.

Omnis

Omnis herniæ ſuperficies interna peritoneo laxæ ope, ut ſolet, celluloſæ obducitur, præter zonam, qua cum herniæ tunica cutis cohæret, arctiſſimo nexu peritoneum ſibi jungentem. Extenuata cum epidermide cutis ſuper omnem herniæ ambitum protrahitur herniæque viciſſim tunica ſub cutem preſſa & in craſſam compactamque celluloſam, qualis inteſtinorum tunica nervea eſt, mutata repit. Ita tunicae hernioſæ ambitus inter peritoneum cutemque ſtricto quidem nexu, ſed ſeparabili firmatur. Similem ſtructuram in minoribus etiam umbilici herniis obſervavi.



a b. peritoneum.
a c. tunica herniæ.
b d. cutis cum epidermide.

VI.

Manus deformis.

Infantis recens nati ſiniſtra manus dimidia ſaltem parte, ſi ad molem cubicam reſpicimus, altera minor eſt. Pollicis forma & reliquorum digitorum tertiæ phalanges naturales ſunt. Singulæ primæ ſecundæque a metacarpo phalanges, ſine medio articulo, in unicum os exporriguntur, ad metacarpum latius, ad tertiam phalangem arctius, utrinque mobile, & junctam utriusque phalangis longitudinem explens. Cutis vinculum ad tertiarum phalangum radices protractum, tertio a partu menſe chirurgica opera, cum modico ſanguinis profluuio, diviſum triaque digitorum intervalla facta ſunt. Indicis digiti tertia phalanx nimis mobilis ad dorſum etiam manus inflecti poteſt. Digitorum cæteroquin neque motus neque ſenſus peccat. In deſcripta etiam deformitate monſtroſa, prementis cauſſæ explicatio ſimpliciſſima eſt.

D. IO.

D. IO. GEORGII ROEDERER

MEDICINAE ET ANATOMIAE PROFESSORIS IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA, ACADEMIAE IMPERIALIS SCIENTIARUM PETROPOLITANAE SOCII,

DISSERTATIO.

(DE VI IMAGINATIONIS IN FOETUM NEGATA, QUANDO GRAVIDAE MENS A CAUSSA QUACUNQUE VIOLENTIORE COMMOVETUR; PUBLICI IURIS FACTA AB ACADEMIA IMPERIALI SCIENTIARUM PETROPOLITANA. A. 1756.)

Nunquam natura aliud docuit, aliud Sapientia.

Illuſtris Academia proponit quæſtionem: *Quænam ſit cauſſa proxima, mutans corpus fœtus, non matris gravidæ, hujus mente a cauſſa quacunque violentiore commota; & quidem cur id fiat in ea parte corpuſculi fœtus, ad quam in ſuo corpore mater manum applicuit? ubi illorum quoque cogitata ad certamen de præmio admittentur, qui contrariæ ſententiæ addicti, argumenta veroſimiliora in medium proferent.*

Duplicem viam, ad inveniendam in propoſito argumento veritatem, ingredi poſſumus. Licet nobis, a priori, ut ajunt, pergendo, ſtructuram corporis commerciumque matris cum embryone inveſtigare; licet etiam ad experientiæ vocem, adeo gravem, provocare: Utrumque quidem facere mihi conſtitutum eſt, ut ſua quaſi ſponte veritas pateſcat. Quo melius autem commercium maternum cum embryone intelligatur, quædam veritates notiſſimæ ſtrictim indicandæ ſunt. Gravidum quidem uterum fœtum hoſpitio excipere eidemque commeatum afferre; placentam vero quicquid eſt commercii ſolam facere, hic ex utero pendentem, illic in umbilici funem collectam, in confeſſo eſt. Velamenta, quæ ex placenta producuntur, communia cum eadem, leviora licet, jura ſibi vindicant. Ipſa commercii ratio, quæ primum, ex quo propoſita quæſtio ſolvi poteſt, principium ſubminiſtrat, altioris indaginis argumentum eſt: operæ itaquæ pretium eſſe arbitror, eandem (ſumma quidem brevitate, ne Illuſtris Academiæ ſagacitati & patientiæ illudatur) in præſenti diſquiſitione rimari. Id unicum præmonere mihi liceat, argumenta me ipſum obſervando & experiendo eſſe proſecutum, nullaque per omnem diſſertationem me proferre, de quorum veritate propria molimina me non præſtiterint

convictum quorumque eventus inquiſitoribus idem ſeſe non ſit oblaturus. Dedita opera autorum citationibus, plura etiam comprobantibus *) abſtineo; ne diſſertationes moles creſcat, & propria forſan occurrant huc translata.

Omnia vero argumenta collata & probe expenſa inconcuſſa propemodum certitudine ſtabiliunt ſententiam: nihil anaſtomoſeos veræ vaſis uteri cum placentae vaſis intercedere, ſed viciniam ſaltem & humorum aliquam admiſſionem. Argumentorum pondera ad ſequentia ſtrictim redeunt.

1) Lumina vaſorum placentæ, quæ verſus uterum diriguntur, adeo exigua ſunt, ut ne oleum quidem therebinthinæ vel alium liquorem transmittant, cum funis vaſa iſto liquore ſipho replet. Neque etiam ulla ſanguinis guttula ex iſta ſuperficie ſtillat, illico licet a partu, una cum fœtu, integrá placenta & illæſa, cujus vaſa arterioſa adhuc pulſant, extrahatur; licet etiam in aquam, ne frigus accedat & aëris ſiccitas, cum integro fune, calidam calore quaſi animali, demergatur. Neque guttulam ſanguinis placenta fundit, quæ mox a morte, ſecto abdomine operatione Cæſarea, ab uteri ſuperficie removetur, in infantem funis ope perpetua.

2) Maxima e contrario vaſorum uteri lumina, ſub finem graviditatis vel minimum digitum admittentia, ſanguinis torrentem, a partu effundunt, quorum fontes oculis uſurpantur, cum apertis a morte feminæ gravidæ abdomine & utero, hic decorticatur: vndæ enim ſanguinis plurium linearum diametri ex ſuperficie interna uteri profunduntur. Neque minus perſpicua ſunt ampliſſima vaſorum lumina, quando uteri vaſa in cadavere feminæ gravidæ materia cerea replentur. Quin illam amplitudinem ex notabilibus vaſorum luminibus, lunare tributum fundentibus, quæ in cadavere ſtylum recipiunt, inferre utique poſſumus. **)

Quæ

*) *Poterunt facile ſuo tempore, ſi Illuſtris Academia e re ſua eſſe putaverit, addi.*

**) *Hæc abhinc diſtinctius obſervata deſcripſi in Icon. Uteri. human. p. 22. ſq.*

Quæ cum ita ſint fieri certe nequit, ut vera anaſtomoſi, qua lumen in lumen producitur, & vas vaſi reſpondet, uteri & placentæ vaſa nectantur: ſiquidem anaſtomoſis inter vaſa ejusdem diametri fieri conſtat, maximaque vaſa in haud paulo minora alia non produci. Ne tamen quid dubii ſuperſit, ipſa etiam pericula adjungam, in homine æque ac brutis pari ſucceſſu facta.

3) Hypogaſtrica vaſa ☿io vivo, cerea materie vel alio liquore artis lege ſaturata nihil liquoris cum umbilici vaſis communicant, ſolam placentæ telam celluloſam infarciendo, vel ipſum uterum & placentam inter, ſi majori vi urgemus liquorem, eructando, cum placentæ ab utero ſolutione.

4) Pari eventu ex umbilici vaſis, quæ ſipho implet, uteri vaſa non farciuntur, ſed ab utero placenta ſoluitur materie effuſa; quum extracto ex cadavere feminæ gravidæ fœtu, & umbilici fune perſciſſo, in hujus arterias cereus & therebinthinæ liquor, vel alius quicunque vehementius impellitur. In brutis etiam, vacca v. g. ove, vel cane &c. neque injectionis materiei tranſitus datur ex hypogaſtricis vaſis in umbilici vaſa, neque viciſſim. Quæ in contrarium afferri poſſent Bidloi v. g. & Noortwyckii experimenta nihil omnino probant. Ille anaſtomoſin ex ☿iali iniectione ſperans, vel hariolans conſpicuam, minime demouſtratam viſamque profert: hic quidem materie celluloſam placentæ telam ſe ſaturaſſe, nihil autem per hypogaſtrica vaſa in umbilici vaſa projeciſſe ipſe monet.

5) Quodſi abſoluto partu in utero placenta relinquitur & funis perſcinditur ſine ligatura ea parte, qua ex placenta pendet, ſua ſponte, poſtquam una alterave modo ſanguinis uncia, quam placenta comprehenderat, effluxit, omnis porro fluxus ceſſat. Nihil itaque placentæ ab utero ſanguinis cum ſubminiſtretur, nullam adeſſe anaſtomoſin innuit, qualis videlicet, non interruptis rivulis, omni, vel ſaltem copioſo matrem ſanguine priuaret. Ne culpa conjiciatur in conſtrictum uteri os vel aëris frigus. Conſtans ſucceſſus notatur, quamvis os uteri laxum eaque lege funis perſcindatur, ut genitali-

tum calore integer relictus foveatur. Vagæ obſervationes, quæ paſſim leguntur, quæque matres ſanguine a partu exhauſtas perhibent, melius ad placentæ partem ſolutam indeque factam uteri hæmorrhagiam, quam funis aperturam, profecto innocentem, referuntur. Id ſaltem iſtas obſervationes *) attente perlegenti non obſcurum erit.

6) Cum animal gravidum radice rubiæ tinctorum nutritur, fœtus oſſa rubro colore non tinguntur.

7) Diverſus in embryone ſanguinis a ſanguine materno habitus eſt, fluidior multo & tenuior, per ſubtiliſſima nempe placentæ vaſa colatus. Diverſus etiam in infante recens nato & fœtu naſcendo a matre pulſus eſt, circuli ſanguinis diverſitatem & anaſtomoſium defectum non obſcure judicans. Iſtius periculi copia eſt, cum verſione infantem extracturus hujus pulſum in utero & matris pulſum tangere.

Prolata quidem, de quibus utique fuſius exponere poſſem, ad comprobandum theſin ſufficere puto. Quodſi purro ad ampliſſima non minus uteri, quam exiliſſima placentæ vaſa reſpiciamus; ſecernens placentæ natura nobis velut obtrudetur, cujus quippe placentæ plures minimi canales venoſi uni ampliori in uteri ſuperficie aperturæ obverſi, ſubtilores ut ex ſanguine materno maſſulas roſorbent, ita viciſſim arterioſi aliquid liquoris utero infunpunt. Nimis ſane exilia ſunt vaſorum in placenta lumina, quam quæ tranſitum cruori pormittere poſſint. Qua de cauſſa cruoris circulus in ipſa placenta exumbilici arteriis in hymonymos ramos remoſos ea via perſicitur, quam therebinthinæ liquor ſequitur, umbilici arteriæ ſiphone infuſus. Eſt itaque placentæ pars embryonis, ſanguinem arteriorum umbilici venis reddens, ſanguinem ſubigens, perfeciens & depurgans, peregrinas maſſulus inuterum proiiciendo, exquiſitas vero inolæ extrahendo.

Ipſe

*) *Conf. v. g. Hiſtoire de l'Academie Royale des ſcience: de Paris A. 1707. obſ. I. p. 15. De la Motte Tr. des Accouchem. obſ. 198.*

Ipſe etiam fœtus, eandem ob rationem, propriam vitam vivit, propriis viribus, ſuo corde & arteriis, proprium ſanguinem in orbitam & per placentam movet, ſine ſanguinis materni adminiculo & harmonia, ſi indolis aliquam communicationem excipias, quæ a ſecretione in placenta pendet. Ita intelligitur, cur quies, motus, ſomnus, vigiliæ, vita, mors aliaque plura in matre & fœtu non ſint, neceſſario ſaltem & ſemper, harmonica. Vivit ſane mater, mortuo licet pondere uterino; vivit nonnunquam per pluſcula minuta, quin horam, embryo in matre defuncta; movetur embryo, quando mater quieſcit &c.

Ita unum ex principiis ſtrictim conſtituiſſe mihi videor.

Qui porro placentas frequenter ex utero ſolvit, non poteſt non placentæ cum utero cohæſionem minus firmam, mobilem maxime & ſolubilem notaſſe, qualis ſaltem ſubſtantia continuata haud paulo laxior eſt. Sine violentia vel læſione lacerationeve atque ruptura, blanda manus interpoſitione ſeu levi tractione placenta ab utero deglubitur, quin inſcia matre, ſuapte natura, dum uterus a partu contrahitur, ab utero ſecedens in vaginam ſolumque delabitur: quæ cuncta ſane toties obſervavi. Et, quod præ reliquis momentis attentione dignum puto, ſi uteri contractio placentam ſolvit, vel peritus operator utero parcere didicit, iſta ſolutio ſine ullo matris incommodo, quin inſcia ſæpe eadem, abſolvi poteſt, certiſſimo documento, nihil fibrarum, ſaltem ſenſilium, ex utero materno in placentam protrahi. De cruciatibus, quos ipſum uteri corpus quandoque, iniqua ratione contractum, excitat, huc quippe, nempe ad uteri cum placenta nexum non pertinentibus, ſed ad ſolum uteri corpus, & ſoluta dudum placenta ſæpius permanentibus, non loquor; neque iſtos cruciatus argumenti vires infringere puto. Quæ a morte, diſſectis abdomine & utero, ſolvitur placenta ne ſimulacrum quidem fibrarum ſeſe cum utero nectentium offert. Simplici itaque partium adhæſione, quam copioſi ſulci & eminentiæ augent juvantque, ſine fibrarum productione, placenta cum utero jungitur. Nihil etiam inter matrem & placentam ſenſus vel nervorum

rum intereſſe, placenta in utero, immutatis nervis maternis & inſcia matre, preſſa, lacerata ſciſſaque demonſtrat. Iſta quidem omnia ad funem & infantem pari lege applicari poſſunt. Ne quid eorum, quibus argumentum illuſtrari poſſit, omittatur; ad æqualem etiam lævemque placentæ ſuperficiem provoco, quæ fibrarum ruptarum veſtigiis caret; ad ſimilem lævitatem ſuperficiei uterinæ; ad cicatricum defectum, quæ læſiones excipiunt. Vidi utique ejusmodi a placentæ ſolutione violenta, ſuperficiei uterinæ lacerationem; quam vero cum profuſiſſima hæmorrhagia cita mors matris inſecuta eſt, cujusque in cadavere aſpera veſtigia minime obſcure fuere. Nervorum vero ex placenta in uterum pergentium & redeuntium demonſtrationem anatomicum nemo arbitror, ſuſcipiet. Quin nihil hactenus, quod nervis aſſimilari poſſit, in placenta demonſtratum eſt.

Quodſi porro propius accedamus ad mutationes perluſtrandas, quæ ex matre in fœtum per placentam derivari poſſunt: vel ad humores reſpiciendum eſt, vel ad aliquem ſenſum, ex utero in placentam pergentes. Nervorum autem commercia iſtis in partibus nulla eſſe jam vidimus, nihilque ſenſus ex matre per placentam in fœtum produci. Soli ſuperſunt humores, quorum tranſitus omne, quicquid viciſſitudinum ex matre cum fœtu communicatur, ſecum in embryonem ducit, ad eam legem, quæ ſecretionum viſceribus imperat. Sanguinis itaque materni mutationes ſimpliciter & qua tales in fœtum non propagantur, ſed quales a placentæ vi ſecernente recipiuntur. Multa, non diſſimulandum eſt, in liquore ſeparato ſuperſunt, ex quibus primarii liquoris natura intelligi poteſt; ſeparati etiam liquoris indoles a mutato humore primario alteratur, quæ vero juncta haud paulo, ac in primario liquore, minus memorabilia ſunt.

In quidem principiorum lucrum fecimus, ex quibus propoſitam quæſtionem ſolvi poſſe arbitror: principiorum quidem facilium & ſimplicium, ſed firmioribus fundamentis nitentium.

Finga-

Fingamus tantiſper, certiſſimis obſervationibus munitam omni dubio illudere nævorum originem ex affectu materno repetitam; totus profecto effectus ex humorum mutatione explicandus eſſet. Aſſerendum nempe eſſet, qualibet inſigni mentis maternæ commotione ſpecifico modo ſanguinem maternum alterari, ſpecificam iſtam mutationem a placenta reſorberi & cum ſanguine embryonis communicari. Iſta quidem, quomodo matris morbi in fœtum tranſeant, explicant & dilucidant, nævorum vero explicationem abditam relinquunt. Nævi materni ſæpius omnino ſaniſſimos infantes diſtinguunt, quorum ſanguis nulla labe infectus eſt; ad ſolidas magis partes, quam fluidas pertinent; hanc illamve ſedem obſident, toto reliquo corpore intacto; aſſimilantur, ex hypotheſi, objectis, quæ matrem perculerunt. Hæc vero omnia, ſpecifica nimis, optionem quandam ſedis & formæ agnoſcentia, ſimplicia & univerſalia humorum vitia longe ſuperant. Indifferens eſt humorum vitium, cuilibet ſedi commune, in communi cordis apud embryonem receptaculo colligitur, in omnes receſſus æqua ratione diſtribuitur, niſi forſan alicujus viſceris validius debiliusque obſtaculum communis beneficii leges variet. Quum autem in omni corporis ſuperficie paſſim naevi obſerventur; neque faciei ob plures nervos, neque alii parti ob aliam quamcunque cauſſam, peculiare privilegium nævorum formandorum datum eſt. Nihil etiam hic juvarenos poteſt ficta quædam & neſcio quæ harmonica vel ſympathetica in matris & embryonis ſanguine circulatio, quibus nempe humorum viciſſitudines amica harmonia conſpirant & in paria iura atque violentias nituntur. Poſſet, ſi ita volupe eſt, aliquid ſubſidii inde peti, ſi inter uterum & placentam anaſtomoſi vaſa jungerentur. Remota vero a ſanguine materno embryonis orbita, totum harmonicæ circulationis (ſupra jam everſum) ædificium corruit. Neque aucta vel imminuta ſanguinis circulatio, cujus vim & ipſa placenta multum frangit, clarius lumen affundit, communem ſaltem maſſam mutans, nihil ſpecifici ſeligens, nihil formæ fingens. Neque nos juvare poteſt illa obſervatio, qua gravidarum morbi, metaſtaſi matri ſalubri, in embryonem quandoque deſæviunt. Quis enim ne-

ſcit ſecretionum leges metaſtaſes ſequi atque ad ſuum locum, ſine ficta forma, a majori minorive viſceris reſiſtentia determinari?

Quocunque itaque cum humoribus nos vertamus, nihil præſidiorum, quibus vulgarem ſententiam, cum veri quadam ſpecie, tueri queamus, invenimus.

Aliquem ſane explicationis quæſtum faceremus, ſi nervorum propagines ex utero placenta reciperet. Adeo enim mirandæ & multis nominibus obſcuræ ſunt leges, quæ nervos regunt, ut ſola ſæpius obſervatio, ſi ea vera ſit, nobis ſatisfacere debeat: In ipſis autem nævis nonnulla momenta obſervari dicuntur, quæ nervorum etiam vires ſuperare videntur, ſi vel maxime aliquæ adeſſent. Certe objecti figura terribilis vel deſiderati ſpecifico modo nervis maternis imprimis deberet, ex nervis maternis in embryonis nervos derivari, inde ad ſimilem, quam mater tetigit, embryonis ſedem, ibidem ſubſiſtere formamque carnibus inſculpere. Largiamur etiam hæc omnia, obſcurum tamen, non dicam impoſſibile, ſemper erit explicatu, quonam modo forma nervis impreſſa alias partes a fœtu avellere poſſit, alias jungere, addere alias, alias transferre, in ſolidioribus etiam partibus, oſſibus, cartilaginibusque in partibus vitalibus ſine vitæ diſpendio &c. Niſi externam violentiam admittamus, vel morbum, ulcus, gangrænam &c. vel mutans momentum in ipſis formationum periodis, ampliora iſta vitia explicari nequeunt. In levioribus forſan maculis ſanguinis impetus a nervis determinatus non penitus nos in explicando deſtituit. Verum enim vero neque ſolæ leviores maculæ huc pertinent, neque diverſus impetus ſpecificas formas ſtruit.

Ipſæ etiam illæ nervis impreſſæ formæ vix admitti poſſunt. Nihil enim in nervis pingitur, nihil imaginis ducitur, ſed ſolo quodam motu qualicunque, procul dubio oſcillationis, omnia ſua munera nervi obeunt. Ex conſtanti quadam lege divina externa objecta in nervis oſcillationes excitant, varias pro objectorum varietate, vividasque magis in animi affectu ſeu commotione: ipſam autem illam oſcillationem objecti imaginem reputare neutiquam nobis licet.

licet. Quælibet oſcillatio ſpecificam animæ ideam conjunctam habet, quæ tamen & ipſa idea neque cum figura quadam vel imagine aliquid commune habet neque ex imagine naſcitur: quid enim in mente pingi poteſt? Vivida inſuper & ex pari oſcillatione nata idea varios in corpore motus excitat: quare in gravidis etiam, mente commotis, ſpaſticæ uteri contractiones non infrequentes ſunt. Iſti vero motus pari modo nil picturæ vel imaginis ſiſtunt, ſed morbos abortumque facere ſolent non infrequentes. Vix aliquid ratiocinium differt, ſi affectum matris cum mente embryonis communicari ſtatuamus: neque enim communicatio adeſt, neque facilior eſt explicatio. Quis enim mente commotus embryo & conſternatus poterit nervis ſuis novam facultatem, ex optione partes ſtruendi, communicare, cum tota iſta embryonis ſtruens facultas corpusque formans vix ſpecie quadam veri defendi poſſit?

Vix aliquid, ſi pertinaciter nævorum ex matris affectu origini inhærere velimus, præter actiones in diſtans ſine corporis commercio, ſympathias precario defenſas, affectus animi embryoni, neque appetenti, neque aliquid in utero materno averſanti, ex hypotheſeos amore adſcriptos, aliasque occultas qualitates ſupereſt. Omnes tamen & ſingulæ iſtarum explicationum cum animi quadam & corporis agitatione, eademque non modica, rem habent: aſt quæſo, quænam agitatio adjungitur applicationi manus maternæ? quæ ipſo illo tempore, quo mater animo commovetur, ad ipſam animi commotionem non pertinet; ſed inſcia potius matre, ſine conſilio ſcopoque fit. Quinam fieri poteſt, ut ille brachii motus manusque appoſitio embryonis affectum, nervorum oſcillationem, vel quidquid cauſſæ nævos formet, determinare poſſint? Si omnia etiam in nævorum formatione concedantur, ex omni tamen hypotheſi iſta manus applicatio removenda eſt.

Supereſt & aliud dubium, quod maternum in nævo formando affectum admodum ſuſpectum reddit. Quodſi nervorum oſcillationes in embryone per conſenſum affectæ nævum formant, vel iſti

muneri vacat mens embryonis conſternata & per conſenſum ſimilem turbata; cur otioſi ſunt nervi materni & matris anima, qui primas injurias patiuntur. Non equidem diſſimulabo, mollitiem corpuſculi in embryone naturamque gelatinoſam in ſubſidium venire, parteſque jam rigidas in matris corpore novam formam non admittere; aſt, quæſo, cur facta ſemel in molli parte læſione, partes laceræ, ruptæ, fiſſæ & ſimili modo læſæ, propter eandem naturam gelatinoſam reliqua graviditatis periodo denuo non ſanantur, ut in vulneribus juniorum fieri conſuevit? cur in loco, quem mater tangit, nullum niſum percipit? cur doloris nihil, nihil peculiaris ſenſus? Abſonum profecto eſt ſpecificæ ſedis injurias in embryone fingere, quando ſine delectu animi affectus corpus maternum afficit, non diſpari ratione ac alias, cum uterum non gerit; quando ſanitas matris univerſa labe inficitur, hæc vel illa pars ſpaſtice contrahitur, cordis muſculus, muſculi reſpirationis, abdominis, digeſtionis organorum, linguæ uterive; quando varii morbi ipſeque abortus ſubſequuntur: dum interea intemerata & inconcuſſa embryonis ſanitas omnes iſtas ruinas fert, omnemque impetum in ſolam partem, quam mater tetigit, pro nævo formando, evomit. Quid, quod? neque debilior in embryone partium compages firmum & ſtabile hypotheſi præſidium ſervat. Par habitus in recens nato infante per pluſculum tempus ſervatur; ſæpius idem & cum violentia ipſe, primo motu, ſine remoto conſenſu, animo movetur, nil tamen nævi formatur. Quæ forſan partes jam magis rigentes ſolidius obſtaculum objicerent, vehementiori tamen & primario affectu ſuperarentur. Non minus enim actionis momentum ſive effectus producitur, ſi impedimenti major vis valentiori etiam impetu compenſatur.

Accedit etiam illa obſervatio, in medica praxi ſatis obvia: ſerius multo rariusque nervorum in matre agitationes embryonem afficere, quam humorum vitia; certiſſimo documento, nervorum inter matrem & embryonem, pro morbis ſaltem faciendis, non eſſe commercia; ſed agitationes nervorum in matre tunc demum em-

bryonem

bryonem afficere, cum humores ſenſim inde vitiati fuerint & in eundem transmiſſi. Parum itaque a nervis in explicandis embryonum affectionibus ſperari poteſt præſidii.

Omnibus hiſce diſputationibus ſuperſedere potuiſſem, quod ſupra jam evictum fuerit, nihil nervei commercii vel veræ vaſorum anaſtomoſeos matrem fœtumque unire: non tamen penitus inutiles illas judico, illorum quippe propugnationibus occurrentes, qui latentes forſan, neſcio quos, non ſentientes nervos ex utero in placentam, funem fœtumque produci, paremque ſympathiam per vaſa deferri autumant. Velamentis aliquid peculiaris privilegii nemo facile tribuet, quod omnem, quem recipere etiam ab utero poſſunt, impetum amnii liquor intercipit, idemque impetus ad quamlibet embryonis ſedem ſine delectu indeterminatus eſt.

Sed quid opus eſt verbis, quid opus argumentis, & ſpeculationibus, ubi rerum teſtimonia adſunt? Quid juvare poteſt enodatio ſtructuræ, enodatio commercii materni eum fœtu? quid juvat denegata ex affectu animi, tanquam impoſſibilis, nævorum origo, ſi vetus & frequens obſervatio contrarium nos docet? Non multum, fateor, anxium me tenet iſta antiqua vulgataque experientia. Frequentiſſimus ſane error cognitionis naturalis progreſſum ſæpiſſime retardavit, quo falſis obſervationibus nobis illudi paſſi ſumus. Nunquam natura aliud docuit, aliud ſapientia. Velut in univerſa cognitione naturali, ita vel maxime in noſtro argumento phænomena, quæ caſus quidam fortuitus univit, vel quæ unita falſo ſaltem nobis perſuaſimus, cauſſarum effectuumque connubia & amica conſortia reputamus. Conſtans & inconcuſſa veritas ſemper manebit, falſo obſervatum effectum eſſe, cujus impoſſibilitatem ex veris principiis juſta ratiocinii lege demonſtrare poſſumus, & ſimultaneorum ſaltem phænomenorum cauſſas aliunde eſſe repetendas, ſi evictum dari poteſt, inter ipſa phænomena nihil nexus intercedere, multoque minus unum ex altero derivari.

P 3 Verum

Verum enim vero in noſtro argumento poſſumus ulterius pedem promovere, a generaliori veritate ad ipſas obſervationes perluſtrandas. Poſſunt nempe obſervationum ludibria, non hujus vel illius, ſed omnium generatim argumentis perquam veroſimilibus repelli. Lubenter abſtineo, quibus alii jam, maxime *Blondellus*, hanc ſpartam egregie ornarunt, ſolis quibusdam eorum contentus, quæ mihimet ipſi non infrequenter oblata ſunt.

1) Ipſa nævorum figura, quæ objecto, animum quod commovit, aſſimilatur, phantaſia plebis adeo miſere contorquetur, ut inſpiciens, ſine præjudicio cognitaque fabella, lubentius pro rudi & indigeſta macula habeat, pro verruca, pro excreſcente carne, pro expanſa & rubente cute alioque externarum partium vitio, quam pro objecti cuiusdam imagine. Ubi ex præjudicio cum nævo fabellam combinamus, poſſumus utcunque remotam quandam in nonnullis ſimilitudinem deprehendere. Hoc nomine nævis idem fatum accidit, quod olim monſtris, quæ tamen & ipſa inter nævos nonnunquam numerantur. Superſtitio phyſica in quolibet monſtro portentoſam quandam objecti cujusdam, animantis, crucis, diaboli &c. effigiem vidit, qualem noſtro ævo in ſimilibus monſtris non amplius deprehendimus. Vidi flaveſcentem maculam in fronte puellæ. Terrori ab incendio & contactæ matris fronti adſcribebant maculam, in qua ego aliquid cum igne ſimilitudinis ne quidem hariolatus eſſem. Vidi aliam ejusmodi maculam ſplendide rubram, quæ integram faciem ſiniſtram obſidens pari cauſſæ tribuebatur. Videas itaque diverſam maculam pro lubitu eidem cauſſæ adſcriptam. Quænam adeo arbitrii & phantaſiæ in hiſce ſimilitudinibus partes ſint; ultro liquet; ne quid dicam, ſimiles maculas & aliis objectis aſſimilari, ſanguini defluenti, vino, vegetabilium ſucco &c. Verrucæ piloſæ pro lubitu in quodlibet animal piloſum mutantur, ſplendentes magis ſine pilis in piſces. Ejusmodi verrucam piloſam vidi, quam, pedibus licet deſtitutam, capite, cauda omnique reliquo habitu animali, ſimplicem ſcilicet verrucam quandam paulo ampliorem in menti regione: quam, inquam, murem vocabant, qui ſuper dormientis matris facie decurrebat; irregularem quendam

apicem

apicem in caudæ effigiem fœcunda imaginatio diſtorquebat, parum de capite pedibusque ſollicita. Excreſcentes carnes rugoſæ & inæquales velut fructus efflorescunt: nunc ceraſa ſunt, nunc fraga, nunc mora, nunc uvæ &c., quales ſane frequentiores toties vidi pro fabellæ elegantia cuilibet fructui aptatæ. Vidi inter alias etiam craſſiorem quandam & ampliorem verrucam: fuit iſta halecis fruſtum anxie matri appetitum. Tædet plura afferre humanarum creationum teſtimonia, ubivis obvia.

Neque nunquam pia fraus & auri ſacra fames ejusmodi imagines formis tribuit. Infantem hujus generis ſuam matrem laute nutrientem vidi. Non penitus memoratu indignam cenſeo narratiunculam. Octavum quaſi ætatis annum puer nondum excellit, cum pollices viginti & tres longitudine ſua vix æquaret: utero excluſum vix cum ſpithamæ longitudine comparari potuiſſe dixerant. Omnibus cæterum artubus & corporis particulis formoſiſſimis, & ad rectas iſtius ætatis rationes formatis, nihil etiam eorum deſiderabatur, quæ animi dotes & corporis agilitatem in illa iuventute ornare posſent, vel faciei venuſtatem. Ea quidem tempeſtate ad principis aulam nutriebatur puer, & mater donis onuſta duram cum molli vita commutaverat. Ruſtica illa mater cum ſua prole id beneficii propter ſimilitudinem referebat, quam impreſſam cum ſcitula forma infanti dicebat, quum uterum gerens ipſa & in ſacello devotas preces fundens, in infantem Ieſu altare decorantem oculis defixa hæſerit. Rei curioſitate ductus ipſe eo ſcopo ſacellum viſitavi, ut cum infantis forma ceream imaginem compararem. Sed aliam in cerea imagine artuum rationem, aliam faciei ſpeciem deprehendi. Siquidem caput amplum, occiput prominens, breves artus & turgiduli, quales utique ad recens natum infantem apti ſunt, infantem Ieſu diſtinguebant; in pigmæo contra proceritas quædam corporis, ſi nempe ad reliquos artus reſpicias, manuum pedumque gracilis & venuſta forma, & caput anguſtum notabantur, omnia videlicet, quæ octavum ætatis annum in pigmæorum regione ornare poſſent. Quis non videt veram pigmæi cum infante Ieſu & ex matris imaginatio-

ne

ne ortam ſimilitudinem, absque perpetua infantili proportione, mancam maxime eſſe, ſolumque menſuræ defectum iſtam ſimilitudinem non complere, puerumque potius ad pigmæorum claſſem reducere.

Turpis etiam fraus ſæpius omnino detegitur. Ita notiſſima de aureo dente hiſtoria eſt. Ita recenti ævo Medicus arte & ingenio celebris a ſimplici muliercula ſe decipi paſſus eſt, quæ ſibi piscem ex ſorore natum vendidit. Eadem femina in alios etiam illuſiſſet, niſi rudi ſua frequentique arte ipſa fraudem prodidiſſet. Inter hujus generis nævorum, monſtrorum, molarum deformium & volantium hiſtorias tot utique ſunt aniles fabellæ, refutationem minime merentes, totæ fraudulentæ ſibique ipſis contrariantes; quot ad reliquas etiam, parciores ipſas minusque abſurdas, in errorum ſuſpicionem adducendas ſufficiunt. Superioribus ſæculis, quibus ſuperſtitio portentorum peccatorumque maculas deformibus prolibus aſpergendo, variis periculis, non dicam ignominiis, matres expoſuit, perquam utile, quin neceſſarium, imaginationis præſidium erat contra dæmonum & brutorum commercia inculpata iramque divinam.

Ut paucis omnia complectar: monſtra vel nævi iſta objecta, quibus aſſimilari ſolent, habitu ſuo non referunt; ſed phantaſiæ viribus ad objectum detorquentur. Is certe magnus Apollo erit, qui fructus horæi, ignis, vini, animantis &c. veram effigiem in nævo vel in monſtro unquam exhibebit.

Sed pergo ad alterum momentum.

2) Ipſe frequenter omnino nævos monſtraque variarum formarum vidi, quæ, eodem jure cum reliquis, variis objectis aſſimilari potuiſſent; ubi tamen matres nullius caſus reminiſcebantur, qui ullo modo nævo monſtroque vel remotam originem dare potuiſſet, quamvis actorum per geſtationis periodos oblitæ non fuerint. Quin ipſe de induſtria in hoc phænomenon intentus & frequenti opportunitate gravidarum omnes actiones cognoſcendi, quæque ipſis accidunt,

dunt, non deſtitutus, nunquam nævi, non ſemel obſervati, nexum cum hac vel illa animi commotione, quæ nævo reſpondere poſſit, obſervavi. Potuiſſem quidem illo labore ſuperſedere quoniam ad formandum nævum vehementior animi commotio, cujus non facile mater obliviſcitur, requiritur: ne tamen aliquid earum, quibus veritas confirmari poſſit, omittatur, iſtas etiam obſervationes proſecutus ſum. Vidi inter alia etiam genera nævos iſtis corporis ſedibus inſperſos, quas fœminæ veſtimentis tectæ nudas vix tangere poſſunt vel ſolent, in quas adeo manus applicatio nævum non tranſtulit. Huc hypochondriorum regio ſpectat, in qua vincturæ firmantur. Vidi ex nævis ceraſa, mora, lentes, leporina labia, hernias connatas, ſimiles exomphalis, ſine prævia imaginatione formatrice, quin fœtus, quos fœcunda imaginatio lubenter cum ſimiis comparaſſet, ſi mater, dum uterum gereret, unquam ſimiam vidiſſet; alium etiam in medio continente natum, quem certiſſime aſpectus Raiæ piſcis formaſſet, ſi fors eum ad maris littora procreaſſet.

3) Contraria obſervatione non infrequentes, neque placidas animi commotiones notavi in gravidis ſine nævi ſequela, gravida licet ipſa de futuræ prolis habitu anxia fuerit mœſtaque. Sæpius, omnes, ex mea obſervatione, uterum gerentes fœminæ objectorum horrida varietate, inſectis, muribus, cadaveribus humanis, laceris ſqualidisque mendicis, nudos artus monſtrantibus, ſubito non ſine vehementi motu perculſæ ſunt: hæc ex convulſi hominis conſpectu ad artuum tremorem usque territa de futuris pueri convulſionibus miſere conqueſta eſt: illa perenni ex ingrato variolarum, quæ prolem fœdarunt, aſpectu mœſtitia demiſſa, ſimiles maculas in naſcendo fœtu timuit. Nihil vero naevi in deſideratis prolibus apparuit.

Novorum varietatis deſideria etiam matrem vehementiſſima ornant, quæ expleri circumſtantiæ vetant. Eadem autem ipſa deſideria minus pro nævis formandis efficacia validaque ſæpiuſcule notavi. Deſideriorum frequentia, me non monente, iſtud aſſertum comprobat, ſi ad nævorum raritatem ſimul reſpiciamus. In ſylvos

itaque ligna ferrem, ſi muliebribus iſtis deſideriis plagulas replerem. Quin unam tamen ex reliquis ſeligam narratiunculam a me impetrare nequeo.

Fœminam, ingenio & animi affectibus acrem, quum uterum gereret & rure degeret, vehementiſſimum cibandi capitis vitulini deſiderium tenebat, reliqua omnia cibaria averſantem. Emittebantur ea propter nuncii omnem angulum omnemque pagum vicinum perreptaturi; qui vero nil capitis vitulini explorantes leves prædaque non onuſti redibant. Fruſtrata deſiderio fœmina contriſtatur, languet, nil appetit, in prolis capite formam vitulinam timet. Partus tandem accedit & formoſa puella naſcitur.

Profecto ſi imaginationis in matre vires ad formandos nævos & monſtra aliquid valerent, univerſus terrarum orbis monſtris & nævorum crimine fœdatis hominibus totus quantus dudum tectus esſet, cum vix ulla gravidarum reperiatur, quæ frequentiſſimis animi affectibus non agitetur. Rariſſima autem ſunt monſtra, neque veri naevi adeo inter tot homines frequentes.

Generalis concluſio vix dubium admittet: falſam phænomeni cauſſam allegari, quae frequentiſſime effectu deſtituitur, neque minus frequenter deſideratur, effectus licet obſervatur. Ad nævos applicatio facilis eſt.

Ipſa illa exempla, in quibus ad objectum quoddam nævis ſimilitudo contorquetur, nihil omnino probant. Cum in infante nævus notatur, fœcunda matronarum imaginatio objecti cujusdam imaginem in illo notare ſibi videtur. Per integros novem menſes facile caſus quidam accidit, qui nævo applicari utcunque poteſt; quamvis fortuitus ſit ille nexus, minus facilis & ingenioſe magis excogitatus, quam verus.

Nihil ſic prolis cum parentibus in facie, corpore, morbis ipſisque moribus ſimilitudo probat. Illa ſimilitudo ipſi conceptioni partim adſcribi debet, partim humorum qualitati a placenta receptorum,

rum, partim exemplo, educationi & ſimili vivendi rationi. Non maiora ſaltem in prole aſſimilanda matris eſſe privilegia, quam patris, pares ſimilitudinum frequentiæ non obſcure probant. Nemo vero, arbitror, paternam imaginationem in fœtum per matrem transferet. Prolis etiam cum parente ſimilitudo, ad univerſum corpus ſpectans, cum nævo, hanc illamve partem obſidente, comparari commode nequit.

Quæ cum ita ſint, & amica inter obſervationes & theoriam, naturam & ſapientiam, copula ſit; cum ſummo probabilitatis gradu, non dicam certitudine, animi materni impetibus jus nævos formandi non iniqui auferre poſſumus. Parciores forſan iſti caſus, in quibus cum nævo & animi impetu æquior ſimilitudo obſervatur, ſine difficultate ad ſortem quandam fortuitam, conjunctionem quandam adventitiam referre poſſumus, aliis etiam in rebus ipſisque cauſſis moralibus, ex hominis libertate pendentibus, non adeo infrequentes, ubi tamen de cauſſæ & effectus nexu ne quidem cogitare ſolemus. Ubertate etiam contrariorum caſuum iſti parciores facile ſuperantur.

Si in toto nunc argumento ſubſiſterem, id minime vitio verteretur. Ne tamen aliquid eorum, quæ nævorum originem attinent, deſiderari poſſit, ipſas veriores cauſſas, quæ nævos formant, ſtrictim perluſtrabo, vel ſaltem indicabo: integra enim enodatio in prolixiſſimam diſputationem de univerſo generationis negotio reſolveretur, ſcopi limites excedentem. Poſſunt autem iſtæ cauſſæ ex una parte ad momentum conceptionis ſive ad ipſam conceptionem referri, ex altera ad embryonis jam formati viciſſitudines. Poſterior ſpecies priorem in præſenti disquiſitione locum tenebit; dein etiam de priori pauca diſputabuntur.

Non

*) *Bene formatas proles Turcarum uxores enituntur, licet fœdus eunuchorum nigror perpetim ante oculos earum verſetur. cf. memoires du Chevalier d'Arvieux T. IV. p. 546.*

Non male corpuſculi maculas complures & excreſcentes carnes, quæ fructus horæos ex hypotheſi referunt, ex violentiis, quas embryo paſſus eſt, explicamus; ſive uterus contractus, hacque contractione membra embryonis compacta fuerint; ſive externa quadam vi uterus perculſus ſit: ictu, lapſu, pectoralibus faſciis, aliisque; ſive nimium præ embryone placenta incrementum ceperit, quali etiam modo molæ naſcuntur; ſive plurium embryonum conſortia, ut in gemellis, alterutrius partes vitiaverint. Ita ex gemellis alterum in chartæ tenuitatem compreſſum vidi. Ita *) frequenter admodum inter gemellos monſtra apparent, quorum plures partes deficiunt. Non infrequenter unius gemellorum incrementum ab altero impeditur. Iſtiusmodi enim iniuriæ ſolidum cutis robur ſolvunt, humoribus uberiorem affluxum concedunt, ipſumque in ſpongioſam telam illapſum & ſtagnationem. Ita facilis excreſcentium carnium macularumue cognitio eſt. Hujus etiam tribus illi partus ſunt, quos non adeo male cum ſimiis comparare ſolent, quales etiam aliquoties non ſolum videre, ſed & anatomico ſcrutinio ſubjicere mihi licuit. Femora enim abdomini applicantur, reflectuntur crura, ad faciem eriguntur manus, retractis cubitis. Inquirens in ſtructuram corpuſculi ligamenta ſtrictiora notavi artusque compresſos. Medelam etiam triſtis aſpectus admittit balneorum tepidorum, e lacte maxime confectorum & blandæ repetitæque artuum agitationes. Quæ ſane omnia nos docent, ad uteri quandam preſſionem, embryones anguſtias & motus defectum integrum malum referri poſſe; maxime quod in altero iſtorum embryonum, cujus partum obſervavi ipſe, parciſſimam liquoris amnii copiam eidem circumfuſam fuiſſe ex parciſſimo ejusdem effluxu intelligi potuit.

Plures alii nævi monſtraque dirorum re vera morborum, embryones affligentium, connatorum minimeque infrequentium ingratæ

*) *Ipſe vidi & paſſim leguntur. conf. Mem. de l'Acad. Roy. de St. 1740.*

tæ ſequelæ ſunt. Inter hos lubenter numerarem hydrocephalos; varios cutaneos tumores aquoſos; ſimiles ſaccos, qui embryonibus omnem colli ſpeciem, ſi ibidem locantur, obtegunt; ſaccos e genitalibus pendentes aliisque corporis partibus, facie, capite &c.; abdomen liquore plenum; ſimilem thoracem cum diducto ſterno; ſaccos humore ichoroſo ſaturos in lumbis, ſpinæ bifidæ adjunctos; cutaneas maculas, icteri reliquias, aliaque. Iſtiusmodi deformitates vidi, ſecui, examinavi. Effuſi liquores in ſpongioſam telam vel majorem cavitatem, majorem minorumve ambitum inundarunt partesque vicinas devaſtarunt. Nonnunquam procul dubio violentia quædam, ex ſupra dictis, partes, ut liquor effundi potuerit, debilitavit. Ita thoracis hydropem vidi pulmones totos exeſiſſe; tumorem ichoroſum ſpinæ bifidæ inferiorem partem medullæ ſpinalis; hydrocephalos cerebrum; tumores cutaneos adipem. Alias liquores effuſi, cyſtide quadam comprehenſi, ad tumorum cyſticorum generalem claſſem commode relegantur. Inter iſtiusmodi liquores etiam ſanioſos & mora vel morbo corruptos inveni. Ipſe etiam malorum finis eſſe ſolet, ut vel in utero moriatur partus mortuusque naſcatur, vel brevem ſaltem a partu vitam trahat, non obſcuro gravioris morbi indicio. Naſcuntur infantes icterici, qui facile ſanantur. Malum oritur a bilis copia, in inteſtina effuſa & a vaſis lacteis in ſanguinem translata; quam ob rem etiam in ejusmodi cadaveribus lactea vaſa bile tota turgida animadverti. Quodſi iſta bilis in hac vel illa cutis ſede indureſcit & in ipſam cutis ſubſtantiam mutatur, flaveſcentes maculæ ſeu nævi ſubnaſcuntur. Vidi natum, ſine partus difficultare cum inſigni tumore ſanguineo in bregmatis oſſe, ſanguine inter os & pericranium collecto; quod ſane malum in ipſa matrice natum eſt non modicum: quin itaque leviores tumores & maculæ in matrice ex morbis naſci queant, nollem addubitare. Vidi natos cum luxationibus variis, ſine partus vitio vel obſtetricis errore, ſenſim ſua ſponte ſanatis. Aliquoties omnino natos vidi (propter variam matrum, placentarum funiumque habitum morboſum atque humores matris nimis effuſos, a menſtruis, diarrhoea, V. S. nimia &c.) infantes, quemadmodum ſce-

leta emaciatos, cum mire extenuatis faciebus, varios, ſi imaginatio- ſenſui opitulatur, & portentoſas ſpecies referentibus. Vidit Hippocrates (in popular. morborum V. 5.) ulcus embryonis nati in coxa. Vidit Gliſſonius natum rachiticum. Viderunt plures alii morbos embryonum, quibus in utero matris laborarunt. Iure itaque meritoque complures nævos ex morbis embryonum derivamus non penitus infrequentibus. Ipſa etiam inſpectio nos convincere poteſt cutanea quædam vitia, nævos eſſe pleroſque. Effuſus liquor, bilis v. g. concretus cum ſtrictiori cute flaveſcentem maculam format, cujus compagem reliqua cute firmiorem eſſe vel tactus probat. Rubelli nævi reliqua cute laxiores ſunt, extenuata epidermide, liberioribus & copioſioribus vaſis ſanguineis, minore telæ ſpongioſæ vel tendineæ, cutem formantis, & ubertate & ſtrictura. Quare pellucet ſanguis, nudantur nervi, ſenſusque nævi reliqua cute ſuperior eſt. Noxia etiam chirurgia utimur, ſi præſcindendi nævi conſilium inimus: nudi enim nervi & vaſorum copia gangrænæ periculo non vacant; ne quid de diriſſimis iſtius chirurgiæ cruciatibus dicam. Rodentibus vidi chirurgum, qui aggreſſus næuum cancrum periculoſiſſimum fecit. Neque his cognitis, difficulter intelligitur, cur iſtiusmodi nævi tunc floreaut tumeantque, quando fructus, in quorum ſimilitudinem ducti ſunt florent & matureſcunt. Sympathia iſta, plebi adeo miraculoſa, ex tempeſtatis calore, tanquam duplicis effectus communi cauſſa, humores commouente & ſolida expandente, commode explicatur. Eodem jure diceres, ex ovulis vermes prorepere, quod arbores floribus ſuperbiunt, qui ad tempeſtatis rationes utrumque effectum referre deberes. Neque ſoli tempeſtati nævorum excitandorum ornandorumque privilegium conceſſum eſt, ſed cuilibet cauſæ humores agitanti ſolidaque expandenti, ceu ſæpius obſervavi. Vidi florentes nævos a febre, ira, vino, fornacis calore &c. pari modo, uti fervor etiam varias exanthematum ſpecies ſine febre, mox tranſituras, protrudit.

Non paucos etiam nævos ipſa partus parit difficultas. Horridi oculi, naſus depreſſus, labia tumida, membra fracta, aliaque plura

ra variorum animantium formas referentia, ex partu difficili oriuntur. Vidi ejuſmodi caſus, quibus matres acta præteritorum menſiſium ruminando nævum explicarant; ſed ſua ſponte nævus receſſit, impoſitis linamentis vino calido ſuccidis. Idem in corpuſculi maculis notavi. Sæpius etiam omnino accidit, ut æthiopem ſe peperiſſe mater putet, atque ad hanc vel illam animi commotionem nigram formam referat: ſed re examinata a partu difficili, vel fune umbilici, qui embryonis collum preſſit, faciei livor exortus eſt, qui velut reliquæ jam memoratæ deformitates, ſanationem facile admittit. Quin portentoſos vidi totos infantes nigros, variaque matronarum & augaria & imaginationic judicia: mortui autem fuere infantes uno alterove ante partum die. matres ſine auxilio relictæ, computruerunt illi, cancer fœdavit matrices; ita livor totis infantibus aſperſus eſt. Lentior ſi fuerit partus & diu in pelvis capacitate cranium compingatur, miræ cranii formæ oblongæ & compreſſæ exiguntur, in tumorem eleuatur cutis, in duplicis capitis ſimulacrum vel cuculli formatur, quod a ſimilitudine nunc monachi, nunc equitis, nunc mulieris, nunc alia quacunque ductum putant. Poſſem hujus farinæ plures caſus afferre, ſi nugis pagellæ implendæ eſſent magis, quam ratiociniis.

Quis diceret, nævos etiam a partu demum in nato homine prominere & formari? Vidi ejusmodi maculas in ſedibus, quæ mox a partu totæ albebant. Vidi plures ortos tumores herniofos, exomphalos, &c. quos tamen vulgo inter nævos numerant.

Ad recenſitas quidem cauſſas nævorum haud pauci relegari posſunt. Reliqui ad priorem, ex ſupra memoratis originum ſpeciebus, ipſam nempe conceptionem, pertinent. Sententia breviter hæc eſt. Vulgo dicti nævi a monſtris ſolo gradu differunt, minori in illis, majori in hiſce. In nævis partes cutaneæ conformatio quædam externa, ad ſuetum naturæ exemplar non ſunt formatæ, in monſtris integri quidam artus, integra viſcera peccant. In utroque vero vitio naturali, quam vocant, ſtructura vitiata eſt. Nævorum autem æque, ac monſtrorum, vitia occurrunt, quæ mutationibus, quas formatus embryo admittit, ſuperiores ſunt; quam ob rem perquam commode

iſta

iſta vitia ad ipſa formationis rudimenta remittuntur, qualicunque demum ratione rudimentorum vitia explicare ſatagamus. Inquirendum eſſet in frequentes noſtri ævo de monſtrorum origine lites, argumenta eſſent ponderanda, & a veritate propior hypotheſis ſeligenda, ſi totum argumentum complecti vellemus. Extra oleas vero, ni fallor, vagarer, ſi in prolixam illam diſceptationem me immergerem. Sufficiat itaque eandem cum monſtris nævorum originem ex prima conceptione ſtabiliviſſe. Monſtra autem nemo facile, cui interior eorum habitus cognitus eſt & perſpectus, imaginationis viribus largietur, quum præcipua plerorumque monſtrorum & deforminm conformationum vitia in internis magis viſceribus lateant, quam externa figura; quod quidem ſingulis exemplis demonſtrare prolixiſſimus labor eſſet, quem quælibet monſtri apta deſcriptio anatomica ſupplere poteſt. Quin in monſtris plurima viſcerum vitia obſervantur, quibus nullum cum externa deformitate vel commercium vel ſimilitudo eſt, quæque minime propter externum vitium adſunt; quod itidem complures monſtrorum ſectiones nos docent. Quæ cum ita ſint, viſcerumque vitia (illaque maxime, quæ propter externam figuram non adſunt, neque cum iisdem conſpirant) cum externis quibusdam objectis, matris animum commoventibus, nullatenus comparari poſſint, neque etiam mater animo perculſa interna ſua viſcera manu contingere queat; ſane non perſpicio, quonam jure iſta vitia ad imaginationis motus referri poſſint? Prolixa diſputatione ad argumenti pondus perſpiciendum non opus eſſe puto. Quisnam animi affectus producere poteſt renes in unum corpus concretos? connata inteſtina, vaginam, integros embryonum truncos & capita? corda, arterias venasque majores, concreta? &c. cordis, ventriculi, hepatis, lienis, inteſtinorum, pulmonum, cerebri aliosque defectus? duplicem venam cavam in unico corpuſculo, aliaque ejusmodi plura?

Quid, quod? in plantis etiam (brutisque) deformes vel monſtroſæ conformationes, nævorum humanorum ſimillimæ, naſcuntur, in quibus tamen de animæ cujusdam imperio vel affectu ne quidem cogitare nobis licet.

OBSER-

OBSERVATIONUM MEDICARUM

DE

PARTU LABORIOSO

DECADES DUAE

PRIMA ET SECUNDA

GOTTINGAE MDCCLVI.

SERIES OBSERVATIONUM.

I. *Prolapſum caput cum extrema manu.*

Partus cum artis adminiculo naturalis.

II. *Prolapſum brachium.*

Verſio.

III. *Manus, pes & facies prolapſi.*

Verſio.

IV. *Prolapſum brachium.*

Sectio fœtus in utero.

V. *Prolapſum brachium cum fune.*

Partus conduplicato corpore factus.

VI. *Partus facilis.*

Mater ſanguinis fluxu mortua.

VII. *Partus prævio capite lentus propter fœtus mortem.*

VIII. *Partus ob pelvim anguſtam & uterum obliquum difficilis.*

Mater ulcere inveterato mortua.

IX. *Caput prolapſum cum latis humeris & abdomine.*

Partus arte perfectus.

X. *Poſterior capitis pars ex obliquo utero prolapſa.*

Verſione partus abſolutus.

XI. *Partus lentus propter orificium uteri collum embryonis ſtringens.*

XII. Prolapſa facies.
Vecte admoto partus abſolutus.

XIII. Prolapſa facies.
Forcipe foetus vivus extractus.

XIV. Funis bis collum ſtringens.
Forcipe foetus mortuus excuſſus.

XV. Funis collum ſtringens, anguſtiſſimus ſinus, caput magnum & inique ſitum.
Forcipe foetus mortuus ſolutus.

XVI. Propendens funis, caput amplum & obliquum.
Perforatorio extenuatum & forcipe tractum caput.

XVII. Funis collum ſtringens.
Forcipe foetus mortuus extractus.

XVIII. Gemellorum prioris partus naturalis. Poſterioris caput cuneatum. Uncino laeſa & mortua mater, atque embryonis caput perforatorio extenuatum.

XIX. Facies prævia.
Uncino læſa & mortua mater.

XX. Femina ex gangræna uteri a partu gemellorum violento mortua, capita licet exciderint.

OBSER-

OBSERVATIONES
DE
PARTU LABORIOSO
EX
BRACHIO ET CAPITE PROLAPSIS.

OBSERVATIO I.

Prolapſum caput cum extrema manu.
Partus cum artis adminiculo naturalis.

Femina, quæ ſecundo ſupra quadrageſimum anno ſecundum uterum geſſit, ad naturalem partum componitur. Deprimentes prævium cum amnii liquore caput apte os uteri dolores aperiunt. Elapſis a partus initio quinque ſexve horis, expulſum dolorum vi, amnii liquorem caput inſequitur. Verſa vero facies ad ilia matris dextra & fœtus ſiniſtra manus ſimili auri applicata ulteriorem lapſum ita cohibuerunt, vt ſacrum os verſus convertenda fuerit facies & ſiniſtra manus extrahenda; qua ſoluta attractaque leviter, inſequentis doloris vis caput totum, ſuetaque lege corpuſculum excuſſit. Dum caput converteretur, applicita auri manus deprehenſa moxque extracta eſt. Inde placenta ſua decorticatus eſt uterus.

Epicriſis.

1) Leviſſima hujusmodi partus difficilis ſpecies eſt, cujus ſimiles ſolis naturæ viribus abſolutas vidi. Accommodata tamen eſt ars deſcri-

deſcripta, partum ſine matris incommodo accelerans, matremque plurium, qui inique ſitum caput manusque mole auctum deprimerent, dolorum cruciatibus liberans.

2) Cuilibet capitis regioni applicata manus, lapſus quaſi ſerie quadam, deprehenditur, collo, faciei, fronti, auri; quin ante caput pendens gravius vitium, dimoto magis e ſitu ſuo capite, inducit.

OBSERVATIO II.

Prolapſum brachium.

Verſio.

Femina, ætatis anno vigeſimo ſexto primum uterum gerens, per diem noctemque in partu, cum accederem, laboraverat, virium etiam robore & pulſus plenitudine munita, cum lentis doloribus laxisque ſine tumore genitalibus. Poſtquam in lectum extemporalem apte compoſita fuerat, prolapſum brachium ſiniſtrum (quod & obſtetrix mox ſub partus initium notavit) cum umbilici fune deprehendi, pulſu omni carente. Quamobrem ſine ulla hæſitatione, ut pedes prehenderem, manu in uterum penetravi. Nullo negotio id præſtiti, quod totum apertum os uteri commune vteri vaginæque cavum fecit. Mox pone os uteri ſcapulæ depreſſæ illapſus, in ſiniſtrorum iliorum regione, ſurſum verſa facie caput inveni, in dextra truncum. Circa contractum corpuſculum & velut in globum flexum, durus rigidusque uterus arctiſſime ſtringebatur. Jam periiſſe fœtum præter pulſus defectum immobilis etiam lingua, quam in os demiſſo tetigi, me docuit. Summa porro cum difficultate infra ſymphyſin oſſium pubis, trans corpuſculum fœtus manu in poſteriorem uteri cameram penetravi. Depreſſum corpuſculum in prominentem oſſis ſacri colliculum omni in iſta alias præferenda, regione manum aditu arcuit. Poſt molimina quædam, in poſteriori uteri camera, pedem dextrum ad latus fœtus dextrum inter abdomen

domen & dorſum reperi. Nihil præter plicam genu prehendere mihi licuit, cui, digito velut unco leviter, ut potui, injecto, difficulter admodum] pedem ad os uteri promovi. Facilis dein fuit iſtius pedis prehenſio, attractio, ſociique ſolutio; quo utroque juncto prehenſoque fœtus abdomini incumbens ſine labore, vel ad caput impedimento, integer ſolutus eſt. Neque major difficultas pro placenta deglubenda requirebatur. Vixiſſe vero puellam maturam ſub initium partus ex livido prolapſi brachii & rubro genitalium tumore, nullo putredinis ſigno in tota puella juncto, cognovi. Inter operationem ſubinde parturiens alte exclamavit, finitaque operatione ſana vegetaque lochiis apte expurgata eſt; ſani, nec dum inflammati uteri, ſigno.

Epicriſis.

1) Quotiescunque manus operatoris in uterum penetravit, ante omnia in partium fœtus poſitum eo ſcopo inquirere debet, vt quænam via ad pedes ducat attrahendos cognoſcat. Sueto quidem more manus corpuſculi ductum ſequitur; accidit autem, ut transverſim maximam partem fœtus locetur, hic caput, illic truncus; pedes pone truncum in camera uteri poſteriori lateant, uterus circa totum corpuſculum, maxime ad caput & flexa femora, arctiſſime ſtringatur; atque adeo fœtus corpuſculum in duplicem quaſi cameram uterum dividat, anteriorem & poſteriorem. Quodſi ſub hiſce circumſtantiis a thorace fœtus ad abdomen indeque ad femora reflexa pergere vellemus, non ſolum violenta arte a femoribus uterus durus rigidusque removeri deberet, ſed flexura etiam brachium operatoris incurvari, quae fieri abſolute nequit. Quamobrem aptius multo trans medium corpuſculum in poſteriorem cameram operator manum promovet, in loco laxiori, ſuperiori inferiorique. Faciliorem utplurimum inferior ſive materni oſſis ſacri regio concedit aditum. Qua arte dein poteſt, prehenſum pedem heteronymum attrahit. Heteronymum autem recipit, ut decuſſatim vertere fœ-

tum

tum, in abdomen flectere atque eo aptius ergaſtula ſolvere poſſit *). Aliam methodum proponit *Fiedling Ould* **).

2) Servari forſan puella, ſi ſatis in tempore ars opitulata eſſet, potuiſſet.

OBSERVATIO III.

Manus, pes & facies prolapſi. Verſio.

Præſagientes ad partum dolores poſtquam quinque dies uterum feminæ, quæ ter olim partum enixa erat, agitaverant, ſexto die in veros mutati ſub veſperam ex aperto orificio liquorem amnii profuderunt, cum foetus pede altero manuque. Ad momentum usque profuſionis fœtum in utero motum parturiens ſenſerat inde quietum. Tertia ſequentis diei hora pomeridiana apte locatam feminam explorans totum apertum notavi os uteri, uterum laxum, prævios pedem dextrum, ſiniſtram manum & umbilici funem pulſu carentem, cum nauſeoſo & intolerabili propemodum ex utero halante fœtore. Prona in mortem fœtus conſequentia fuit ***). Mox pone os uteri, verſus ilia matris dextra, caput locabatur, verſus uteri fundum iliaque matris ſiniſtra truncus. Artis quidem lege ad alterum illico femur pergere tentavi; præcludente vero aditum capite reflexum femur verſus abdomen matris ſuper oſſibus pubis aſſequi mihi non licuit. Neque etiam prolapſum pedem ſolum trahendo, in abdomen quippe verſus caput reflexum, abſolvere operationem poteris: eo tenacius caput impellis, quo virilius pedem deducis. Facilis autem medela fuit. Ad pedem ſiniſtrum, ante ſinum usque

*) RIECKE *Unterricht für die Hebammen Tab. VII. & VIII. Caſ. 23. & 24. Elem. Art. Obſt. §. 645.*

**) *Treatiſe of Midwifry p. 118.*

***) *El. art. obſt. §. 382. 385.*

usque pudoris extractum, faſciam firmatam altera manu dum graviter attraherem, altera in utero latente caput repuli. Hac quidem opera ad ilia usque fœtus, in latus cubans, extrahebatur, facie ad ilia matris ſiniſtra verſa. Digito porro indice ſiniſtro fœtus inguini immiſſo ſimul & femur ſiniſtrum attraxi & in abdomen fœtum revolvi. Ita ſine difficultate ad brachia idem evulſus eſt; qua in ſede cum obicem notarem, brachia nullo labore exſolvi, digitum dextræ manus indicem fœtus ori inſerui, ſiniſtramque manum eo ſcopo in nucham firmavi, ut depulſo utraque manu capite & agitato protinus idem ſolveretur. Scopo ſucceſſus reſpondit, uterusque etiam placenta molli decorticatus eſt. Viribus cum mater valeret, ex operatione ſuetos cruciatus ſenſit, ſueto fluxu ſanguinem lochiorum effudit, ſuetumque a partu abdominis ſenſum ſervavit. Nihil etiam dolorum ad partum operationem turbavit. Frequens ante partum pulſus ſenſim partu finito in naturalem lentorem rediit. Felix etiam mater puerperium tranſegit.

Epicriſis.

1) Ex facilioribus operationibus deſcriptus partus eſt. In utroque caſu nullam brachii prolapſi curam habui. Obſtetricum ſuperfluus mos eſt, brachii in uterum refuſio. Idem attrahere vel reſecare minus multo neceſſum fuit *).

2) Si protinus, ſub initium partus, apte fœtus extractus fuiſſet, procul dubio ſalvus ſervari potuiſſet. Sub initium enim partus eundem vixiſſe certum eſt. Obſtetrix, quæ prævias partes traxit, funem premendo, ut videtur, eidem vim intulit.

3) Faſciæ omnino artificium in convertendis embryonibus ex præcipuis eſt.

OBSER-

*) *Hoc conſilii iam dedit* MOSCHIO *in Spachii Gynæc. p. 11.*

OBSERVATIO IV.

Prolapſum brachium.
Sectio foetus in utero.

Femina, quæ aliquoties olim ex difficili partu laboraverat, ſecundo ſupra quadrageſimum anno tertia & decima vice parturiens, primis mox ad partum doloribus veris amnii liquorem matutino tempore cum integro brachio ita profudit, ut tota protinus manus ante genitalia comparuiſſet. Paſſim poſtquam obſtetrix verſionem tentaverat quarta die hora decima veſpertina acceſſi. Prolapſam inveni manum dextram, palma ſurſum verſa ad matris abdomen, pollice ad ilia dextra; adeo tumentem cum toto brachio, ut in femoris craſſitiem humerus auctus fuerit. Impreſſus tumor durus foveam ſervavit, frigidus idem lividusque. Nihil ad carpum pulſus vel in palma ab irritatione motus. Putri etiam odore, illo ſpecifico ab embryonis morte, manus explorans fœdata eſt. Fœtui partus, in quartum diem protracti, labores vitæ filum præcidiſſe ex dictis liquet. Tumuit vagina, ipſe uterus circa humerum dextrum validiſſime, velut anulus quidam, riguit. Tentavi quidem verſionem, pertinaciter manum inter thoracem, hunc reprimendo, uterumque promovere anniſus; ſed fruſtra laboravi. Duplici impedimento manus operans a fœtus pedibus removebatur. Rigidiſſima uteri ſubſtantia & contracta manum omni motu ſenſuque premendo privavit. Locati in altiſſima regione ſupra pelvim fœtus nimis diſtabant pedes, quam quos aſſequi liceret operatori. Inconditus etiam matris, dum uterus dilatandus agitaretur, vagitus & agitatio corporis difficultates auxere. Protinus tamen ab opere me depelli paſſus non ſum, ſed ſæpius omnino ad pericula me recepi, ita ut inter varia verſionis molimina (non neglecta ſitus in parturiente mutatione, qualis tunc uſu venire debet) mediaque neceſſariæ quietis intervalla altera jam hora ruiſſet. Omni vero operationis molimine ſuperiora haud parum impedimenta tandem ab opere me deſiſtere cogebant. Corporis etiam fractæ vires, ſudores, manuum ſtupores

pores & obtuſi dolores omni me actione privarunt. Mater licet ejulatu, operatione partusque diuturnitate multum paſſa fuerit, viribus tamen valuit, prædita pulſu æquali, vegeto, frequenti; ſignis integritatis uteri, ſenſu abdominali, abdomine ultra uterum non inflato, lingua rubra, ſplendente &c. De fœtus etiam morte dubitare mihi non licuit. Nihil itaque impedivit, quo minus & mater per plures horas ſine auxilio, ut quieſcat ipſa & uterus, relinqueretur, & operatori quiete viribus receptis manuum ad operandum rurſus copia ſit. Quo autem tumor humeri, effluxis per noctem humoribus, ſubſidens poſtridie operationem, ſpatio parato, minus impediat, linteo ad brachium fœtus firmato tortoque, ex humeri articulo brachium ſolvi atque humerum paſſim perforatorio aperui. Mater dein in lectum compoſita inſequentem noctem, cum parciori licet ſomno, quietam ſatis transegit, ſubinde vexata dolore nunc ad partum, nunc rheumatico, veteri hoſpite inquilino. Poſtridie matutino tempore ſanguinis ex brachio octo unciæ tractæ ſunt, tecti in priori patina ſuꝫa gravidis albuminoſa cruſta. Ipſe dein hora octava accedens, poſtquam cuncta in præcedentis diei ſtatu deprehenderam, præterquam quod humeri tumor effluxis humoribus evanuerat, ad arma properavi. Et protinus quidem curvo cultro a thorace ſcapulam ſolvi, manusque dextræ digitis vulneri immiſſis non ſolum reliquas carnes ſeparavi, ſed & ex ſuo articulo claviculam torquens movi. Repoſito artis lege cultro coſtas diſſecui; pleraſque porro iſtius lateris coſtas ſucceſſivis laboribus multumque temporis conſumentibus extrahens. Tandem & thoracis contenta & prævii lateris integumenta, antea digitis lacerata, exemi. Hactenus quidem de ſitu fœtus nihil cognoſcere poteram; nunc vero, ampliori in utero ſpatio parato, id unicum notare potui, ad anteriorem magis & inferiorem regionem caput locatum eſſe, ad poſteriorem ſuperioremque corpuſculum. Neque tamen de verſione magis, ac pridie, ob rigidiſſimum uterum, fœtumque, velut chirotheca quædam, ambientem, cogitare mihi licuit. Secandus ergo fuit embryo, ancipiti operationis genere. Ante reliqua quidem funem e genitalibus nunc pendentem perſcidi, ne inſtrumento irreti-

S 2 tus

tus impedimento ſit. Lentam difficilemque operationem reddidere vaginam integre claudens tumor ſummasque anguſtias faciens; arctiſſime embryonem ad dorſi vertebras uterus ſtringens; oſſibus pubis maternis validiſſime appreſſæ vertebræ, quibus factum eſt, ut nulla arte manum utero vertebrisque fœtus interponere vertebrasque firmare potuerim. Summa itaque cautio & lentiſſima moderatio, ne aliquid læderetur, requirebantur. Id incommodi etiam ferri debuit, ut incaſſum aliquoties culter *) applicaretur vertebris, easdem attrahens magis, quam ſecans: gnaviter enim arma vibrare tunc mihi non licuit, ſed lento gradu incedere. Tandem tamen eo perveni, ut, in cartilaginem illapſus, in ſuperiori regione dorſum dividerem. Fibrillarum reliquas, quæ leviter paſſim cohærebant, digitis laceravi. Levia vulnuſcula accepere digiti demiſſi, pollex & medius cultrum comitantes. Inde matrem per aliquot tempus quieſcere ſivi. Ad labores rediens ſola manu truncum corpusculi defixum validiſſime ſolvere nequivi: quamobrem ad vertebrarum latus ſiniſtrum inter binas coſtas uncum ita firmavi, ut vertebram ſimul comprehenderet; manu altera uncinum attraxi, alter intus poſita partim hunc direxi, partim vertebras ſuperiores apprehendi. Quo quidem artificio effeci, ut ex ſuo ergaſtulo truncum ſolutum in vaginam deducerem. Remoto dein unco manus dextræ digitos coſtis, velut totidem uncos, injeci, ſuperiores vertebras ſiniſtra manu prehendi, ſimulque corpuſculum in pelvis axin flexum agitatumque ad inguina extraxi, dum mater juſſa ſimul niſus adderet. Injecto inguini digito alterum femorum juxta cum fœtu integro facili opere ſolutum eſt. In tumens valde abdomen pedes reflectebantur, & cum thorace humerus ſiniſter adhuc cohærebat. Solutum dein brachium prehendi, alterius manus in uterum demiſſæ digitum ori fœtus inſervi, capitisque extractionem molitus ſum. Quoniam ex ſummo humero in collum pars cutis pergens nondum disru-

*) *Forficem, quæ cultro facilior lædit, male commendat* MITTELHAÜSER. *p.* 44.

diſrupta erat, aliquid inde, brachium etiam trahendo, utcunque parci, præſidii pro capitis ſolutione ſperavi. Trahens autem iſtam & cutem laceravi & maxillæ inferioris ad caput articulationem. Ita cum colli vertebris in utero reſtitit caput, oris adminiculo rupto. Prehendi colli vertebras manu, elapſæ ſunt; prehendi unco, uncus ſine capite ſolas vertebras evulſit. Neque etiam primum in verticem componendi læve caput tentamen ſucceſſit. Denuo itaque aliquid quietis matri permiſi, & quid dolores forſan præſtent expectavi. Spem mox tremor firmavit frigusque, quibus ad quietem compoſita mater ultra quinque horæ minuta prima agitabatur. Velut enim fieri ſolet, frigus mox vegeti aliquot dolores inſequentes effecerunt, ut ſub tertium dolorem explorans in ſinu caput notaverim vertebris colli in regionem vaginæ ſiniſtram dimotis; quibus manu leviter depreſſis, eodem dolore, ſummo cum impetu, caput exploſum quaſi eſt. Per fruſta dein obſtetrix placentam exſoluit. Finita operatione optime mater, lochia naturalia profundens, valuit. Frequens omni tempore & æqualis ſine duritie pulſus fuit; de dorſi doloribus per intervalla femina conqueſta eſt. Nil febris in puerperio feliciſſimo inſecutum, nil ſymptomatum morboſorum; nil medicamentorum datum eſt. Leviſſima parumque durans fuit ſecunda die febris lactea, ſimili tuſſicula juncta, quæ tertia die utræque deſierunt integerrime. Examinato puellæ corpuſculo vidi: in dextro latere omnes coſtas ſolutas fuiſſe, & ſternum cum ſolis coſtis ſiniſtris cohæſiſſe; quasdam in trunco defuiſſe dorſi vertebras, quasdam etiam in collo, unco ſolutas; numerum inire exactiſſime propter neceſſariam cutis anatomen, quam adſtantium corona cinctus inſtituere minus neceſſum duxi, non potui; nihil viſcerum thoracis ſuperfuiſſe; hepar & inteſtinorum partes per diaphragmatis aperturam in thoracem aſcendiſſe; ruptum os puellæ fuiſſe in ſiniſtro latere.

S 3 Epi-

Epicriſis.

1) Ancipitis operationis tædioſa ſpecies, ad quam, deſperatis omnibus mitioribus remediis, confugere demum debemus. Quum in cunis adhuc jaceret obſtetricandi ars, frequentioris uſus fuit, propter verſionis imperitiam. Quamobrem inter Hippocratica *) etiam præcepta iſta operatio occurrit. Naturales embryonum in brachia lapſus eadem nunquam non carere poſſent, ſi ſub partus inchoamentis, quum uterus vaginaque non ſtringuntur, blanda arte in pedes fœtus converterentur. Tunc demum ad ejusdem auxilium vi quadam compellimur, quando per plures dies continuata vis dolorum uterum in oſſeam velut capſam induravit, fœtumque cum reliquis genitalibus inflavit. Memorabilis cæterum illa ſpaſmorum ſpecies eſt, qua uterus frequenter, ſine partu, doloribus tentatus, dudum amnii liquore profuſo, rigere ſolet.

2) Quodſi in ulla artis obſtetriciæ operatione, in hac certe lenta moderatio operatorem non deſerat, animusque ad labores & patientiam factus. Nulla hujus loci copia illius nonnullorum chirurgorum vanitatis, qua dexteritatis in operando honorem in temporis magis compendio, quam ſalutari eventu quærunt. Quid juvare poteſt cito in utero infantem diſſecuiſſe, quum mater lethali vulnere læditur? Præſtare utique puto, velut in quolibet partu, ita vel maxime in ancipiti iſtiusmodi caſu, lenta cautione matrem e mortis faucibus eripere, quam præcipitanti vanitati immolare. Satis in arte tironibus hoc præceptum inculcari poſſe non arbitror.

3) Præ-

*) *De Morb. Mulier L. I. no. 96. L. de ſuperfœtatione n. 5. cf.* & VAN HOORNE *Siphra & Pua in Præfatione.* & MITTELHAUSER *practiſche Abhandlung vom Accouchiren, qui frequentiſſime hac operatione uſus blandiorem tutioremque verſionem fere neglexit.*

3) Præ reliquis vero doctrinis habitus uteri cognitionem ſibi comparet operator, ut intelligat dignoſcatque ſanusne ſit uterus an ſanguinis inflammatione laboret? pronusne ſit in cancrum, vel eodem jam vitiatus? Iſtæ ſane cognitiones vel feſtinationem ſuadebunt, vel quietem & parturienti & operatori largientur: male enim in opere verſantur animi corporisque, manuum maxime, vires fractæ. Quum ſanguine inflatus eſt uterus, quum in cancrum (gangrænam etiam vocant) ruiturus eſt, cave vel momentum ad operandum differas! quum ſanus eſt, nil urget; quum cancro eroſus, facilem quidem operam fore, certoque fœtum ſolutum iri, ſed certum etiam matris fatum inſecuturum, putes. Virium parientis conſtantia, ingreſſio, qualis iſta periodo eſſe poteſt, facilis, pulſus mollities & æqualitas & modica plenitudo, humida rubraque vel leviter albicans fuſcaque lingua, humidi dentes, reſpiratio bona & lenta, corporis extrema naturali calore fota, potulentorum deglutitio facilis, ſine frequentiori ructu, oculi pupilla mobilis, aſpectus vegetus & moderatus, animus ſine hebetudine vel proſtratione erectus, ardoris in imo ventre defectus, abdomen preſſioni externæ neque nimis inimicum neque totum indolens, idem ultra uteri tumorem non inflatum, dolores, ad partum vel ſaltem dorſi per intervalla acres, ſenſus genitalium integer, dolens inter operandum uterus, ejulans mater, ſicca fœtente ichore genitalia, integer ani ſphincter aliaque uterum neque inflammatione tentatum neque gangræna reſolutum indicantes iſtiusmodi otia non denegant *).

4) Superfluum in deſcripta operatione fuiſſet matrem pro capite excutiendo agitare. Non penitus naturæ viribus diffitendum eſſe ex iſtarum integritate cognovi: futurum etiam dolorum valorem inſignem vehementior iſte frigoris tremor ſpopondit, qui compoſitam matrem concuſſit. Conſtanter enim dolores vegetos quin ſuc-

tis

*) *In deſcripta obſervatione aliisque dictorum ſignorum, ni moneatur contrarium, copiam fuiſſe me non monente liquet.*

lis vegetiores partumque expeditum notavi, quum iſtiusmodi tremor præceſſit. Ipſa deſcriptæ obſervationis femina ſimili tremore ſub initium partus laboraverat cum validorum dolorum, uterum arctiſſime ſtringentium, ſequela. Excretionibus ſane, maxime quæ quotidianæ non ſunt, frigus tremoremque praemitti acute Cel. LINNAEVS *) notauit. Lactis a partu in mammis congeſtionem cum frigore fieri & in dicta femina & alias ſemper animaduerti.

5) Egregius in deſcripta operatione uncini uſus fuit, inſtrumenti alias fere contemnendi & pernicioſi. Neque ſola manus prehenſio truncum ſolviſſet, neque forcipis applicatio in vertebras ſucceſſiſſet. Nihil itaque præter uncini auxilium ſupererat, vertebræ inter coſtas tenaciter infixi, tutoque trahentis. Ita ſane neque lapſum inſtrumenti timere fas erat, neque forſan elapſuri læſionem, matri funeſtam, quod in operatoris potius oppoſitam manum rueret. Egregie etiam defixum in uteri ſubſtantiam corpuſculum eidem obediit.

6) In ſalutem procul dubio embryonis, velut etiam in ſuperioribus binis obſervationibus, citior medela ferri potuiſſet. Prius autem, proh dolor? quam ad extrema ventum eſt, auxilium efflagitare & matres & obſtetrices non ſolent, ita pluribus omnino reſpublica naſcendis civibus privatur, quin ſæpius ipſis matribus. De pluribus ejusmodi ſpeciminibus inſequentes obſervationes exponent.

OBSER-

*) *Diſſ. de nova hypotheſi febris intermittentis Sect. V. no. 55. Inter amœnitatum academicarum collectionem prima eſt.*

OBSERVATIO V.

Prolapſum brachium cum fune.

Partus conduplicato corpore factus.

Memorabilis eſt partus, quem obſtetrix ruſtica perfecit. Femina ruſtica ter jam pepererat, fœtum unum pedibus præviis vivum, ſub finem tamen ſecundæ hebdomadis a partu mortuum; duos reliquos mortuos, naturæ etiam viribus expulſos, manus licet utraque vice prolapſa fuerit. Quarta vice ſub primum dolorum impetum cum embryonis inſequente quiete amnii liquorem profluxiſſe aſſeruit, integrosque quatuor dies ſine partus ulteriori ſucceſſu inde præterlapſos eſſe. Quinti demum diei hora tertia pomeridiana valentioribus doloribus nifus additi, primum umbilici funem, dein & dextrum brachium expulerunt. Sæpius cum obſtetrix ſine ſucceſſu in genitalia brachium, a quolibet dolore rurſus expulſum, refudiſſet, ſcopum mutans prævium brachium & quas potuit partes, juxta cum alia femina ſerviente, attraxit. Iuncti valentiſſimi dolores hora quinta ejusdem diei mortuum puerum conduplicato corpore excuſſerunt. Caput in anteriora inclinatum femoribus interjacebat, dorſumque primum natum reliquæ partes inſequebantur. Placentam mox a partu obſtetrix manu arreptam extraxit. Accedens hora decima veſpertina non ſolum ex obſtetrice deſcriptam narrationem accepi, ſed & ipſe complicatum adhuc fœtum vidi; quo ulterius examinato animadverti, ſanum eum eſſe, magnum & perfectum, ſine mollitie, fœtore vel alio putredinis ſigno; in ſola facie paſſim epidermidem ſecedere, tumidum lividumque ſcrotum eſſe, adeoque dubio procul ſub initium partus vixiſſe; in qua opinione relatio de motu ejusdem ad profuſionem usque liquoris me confirmavit. Integrum quidem brachium dextrum, ſcapula vero & clavicula cum ſuis muſculis totæ a trunco revulſæ erant, leviſſima cutis parte cum dorſo cohærente: ampliſſimo iſto in latere vulnere

facto nudæ coſtæ apparuerant. Salva mater evaſit ſine uteri inflammatione vel genitalium tumore, hæc licet cum hypogaſtrii regione doluerint. Lochiis ſueto more expurgata eſt, & prima nocte copioſe cum pulſu frequenti, pleno, æquali mollique ſudavit, poſtquam tantillum horruerat. Molle abdomen collapſumque. Poſtridie recte valuit cum extenuato magis pulſu.

Epicriſis.

Mira utique partus ſpecies, quam ſalva matre ter ſucceſſiſſe vix crediidiſſem, niſi conduplicatum infantem ipſe vidiſſem. Frequens vero in eadem femina brachii cum fune lapſus, felix fœtus conduplicati partus, pedibusque ipſe cum integritate vitæ elabens fœtus, dubium non relinquunt, ampliſſimam feminæ pelvim eſſe, quæ natans cum fune in amnii liquore brachium & facile admittat & duplicis fœtus ampliorem maſſam commode emittat. Quamobrem in iſta femina, facili opera, in pedes converſi infantes ſervari egregie potuiſſent. Ita ſuperius (ad Obſ. præc. n. 6.) dicta denuo confirmantur.

OBSERVATIO VI.

Partus facilis. Mater ſanguinis fluxu mortua.

Femina, ſui ſexus ornamentum, primo ſupra trigeſimum anno primum partum feliciſſimumque licet enixa eſſet, mox tamen a partu, cum abundantia ſanguinis ex genitalibus fuſa, mortua eſt. Optima uſa eſt graviditate, levioribus facileque ferendis incommodis turbata. Creſcens uterus in latera magis, quam umbilicum verſus expanſus eſt, doloribus præſagientibus vix unquam, præter ultimum ante partum diem noctemque, contractus. Leviores vero,

ro, ut ſolent, iſti dolores ſueta officia domeſtica non impediverunt neque obambulationem per domum, turbato ſolum noctu ſomno. Per ſex quaſi horas vegeti dolores cum quietis intervallis, quæ vel aliquid ſomni concederent, ad partum optimo ſuetoque more omnia diſpoſuerunt. Circa meridiem amnii liquor effluxit, quem vehementiſſimi protinusque ſeſe excipientes dolores per horæ intervallum inſecuti ſunt, cum feliciſſimo partu puellæ. Ipſo illo momento, quo puella nata eſt, mater optime valens & corpore & mente, ut tunc fieri poteſt, de felici peracto partu gaudia teſtata eſt compoſitis verbis. Vix vero unum alterumve horæ minutum primum elapſum eſt, quo de accedente animi deliquio (Uebelſeyn) conqueſta, medicamentum reficiens petiit, oculos torſit, pedibus obſtetricem calcitravit, acſi eandem repellere vellet, atque ex ſella in pavimentum delapſa eſt. Mox adſtantes exceptam eam ex obſtetricio, ut ajunt, ſedili, cui inſederat, in vicinum lectum transportant. Dum iſta peraguntur, ſanguinis abundantia effuſa & in thrombos congelata in pauimento obſervatur. Puerpera exanimis jacet, ſine ſenſu vel loquela, cum mira oris diſtortione. Protinus vocatus in ultimo vitæ articulo deprehendo ſine reſpiratione, carpi vel cordis pulſu, frigidam cum diſtorta facie (in primis ore), ultimosque ſingultus emittentem: vinum ori ab adſtante inſtillatum cum ſonitu delapſum eſt. Tam in pavimento, quam lecto ſanguinis copia diſperſa fuit, ipſaque proles ſanguine tincta cum integra ſanitate ſuperſtes.

Sectio cadaveris.

Quænam occaſionalis hæmorrhagiæ cauſſa fuerit, reſcire non potui. Id unicum ex ſectione cognovi: placentam violenter ab utero ſolutam, interna uteri ſuperficie lacerata, ſanguinis fontes aperuiſſe. Siquidem ampla uteri ſuperficies infra tubæ dextræ aperturam tota ita læſa erat, ut omnis uteri ſubſtantia ſpongioſa & vaſculoſa ad muſcularem usque deſtructa fuerit, aliis quidem in ſedibus deterſa, aiis in glomos collecta cum propendentibus faſciculis.

Lacera ubivis apertaque comparuerunt ampliſſimorum vaſorum lumina totique paſſim rami. Ipſa placentæ cohæſio læſione amplior erat. Ab imo cohæſionis margine verſus ſuperiorem ſive ipſam tubam dextram læſæ ſuperficiei longitudo quatuor pollices æquavit, tres latitudo. Quæ ad ſiniſtram læſionis regionem ſuperficies uteri placentam firmavit, integra fuit, quæ ad dextram, ſtrato intimo ſpongioſo orba, ſtrato vaſculoſo illæſa. Pars ſupra tubam aſcendens extimam modo tunicam ſpongioſam emiſit. Cum placentæ ſuperficie exteriori ſanguinis placenta inſiguis tenaciter cohæſit, novem pollices lata, tres quatuorve, & ultra in medio, craſſa, qua deterſa profundos ſulcos notavi: placentæ iſti ſanguineæ, quod ſecando eandem apparuit, copioſiſſima fruſtula alba, tenacia, chyli coagulorum ſimilia, vel portiuncularum paſtæ de althæa, immiſcebantur variæ molis, lineæ pluriumve diametri. Ipſius placentæ, ultra pollicem in medio craſſæ, diameter cum ſemipollice comparari poterat; novem modo lineas a margine funis inſerebatur. Integri erant lobi a funis inſertione remoti, laceri vero ac disrupti plures, vicini margini, cui funis inſeritur. Integræ loborum laciniæ ex petiolis dependebant; qui lobi ipſum marginem faciunt, minus ac reliqui vicini disrupti erant. Præterea ſi ab inſertione funis per centrum placentæ linea ducatur, alteram modo, dextram videlicet, ſemicirculi aream plurimæ læſiones occupabant, illæſa, ſi unicus lobus ruptus excipiatur, altera. Cum lobis ruptis ſanguinis congelati magna vis cohæſit. Sulci cæterum in ſuperficie externa placentæ profundi erant, fere totam ſubſtantiæ craſſitiem dividentes.

Abdominis viſcera ſana fuere; pelvis ad omnes dimenſiones ampliſſima; uterus totus ad inferiorem pelvis aperturam delapſus pone ſinum, nondum idem contractus, totus expanſus, totamque pelvis amplitudinem replens: in anguſtias vero contracta erant inteſtinum rectum & lotii veſica. Ipſum etiam abdomen leve, molle, collapſum, cum rugis ſuperficiariis.

Uterus

Uterus ſanguine vacuus, abdominis autem venæ & pelvis ſanguine modice repletæ; refertiſſimæ & inflatæ ſanguine venæ ſpermaticæ, quarum altera diametro pollicem æquavit.

Epicriſis.

1) Solutam violenter placentæ iſtam partem fuiſſe, quæ funiculum exigens hujus tractionem lubentior ſequitur *), ſectione comparuit. An obſtetricis attrahentis præcipiti nimis auxilio? **) an infantis lapſu ſimili placentamque ſecum ducente? &c. dijudicare non auſim. Pertinaciter obſtetrix præceps a partu officium negavit, quæque egerit ſub veſtimentis puerperæ adſtantibus obſervare non licuit. Id unicum non diſſimulabo, frequenter omnino (expertus loquor) obſtetrices, nimis officioſas, violenta manu placentas cum iſtiusmodi inſecutura hæmorrhagia matrisque morte luctuoſa excerpere, deteſtando ſane officio, quod blandiſſima methodo ſpontaneam ſolutionem expectare ***), placentamque ſolutam trahere nobis licet. Suo autem ingenio, utut parturientibus exitiali, ſuisque tenebricoſis præjudiciis frui malunt, quam ſanis doctrinis corrigi, ſibi ſufficiens hominum genus. Funis brevitas, vel infanti circumpoſiti gyri notati non ſunt. Ad nimis citatam a partu uteri, ****) pro excutienda violenter placenta, contractionem confugere vix nobis licet, quod ampliſſimum minimeque contractum uterum viderim. An nimia pelvis amplitudo præcipitem nimis reddidit infantis & placentæ lapſum? Cur autem ſola illa & uteri & placentæ lapſum

*) RUYSCH. *Obſerv. Anatom. Chirurg. Centur. Obſ. XLVII.*

**) *Legitur eiusmodi caſus in* BLEGNY *Zodiac. Gall. Art. Obſ. 8*

***) *Hanc veritatem* RUYSCHIUS *jam adſtruxit, & ipſe bene multis obſervationibus confirmatam vidi.*

****) *cf. Commerc. Litt. Nor. Vol. I. p. 139.*

pars lacera, quæ funem exigit? Anne hoc tractum externa vi funem indicat?

2) Arteriarum vulnera, cum ſanguine licet vitam profundentia, omni tamen cruore corpus non exhauriunt. Cum amplioribus autem uteri venis plures ſimul arteriarum laceratas fuiſſe quis addubitabit?

3) Memorabilia ſunt ſymptomata profuſiſſimam hæmorrhagiam comitantia cum citiſſima morte: memorabiles etiam particulæ chyloſæ placentæ ſanguineæ immixtæ.

4) Læſionis in utero deſcriptio facilem conjecturam movet, placentam tubæ dextræ orificio magis, quam medio fundo adhæſiſſe *)

OBSERVATIO VII.

Partus prævio capite lentus propter foetus mortem.

Femina viginti & octo annos nata, duos olim fœtus poſtquam facili opera enixa fuerat, tertia vice ad partum compoſita præter conſuetudinem, vel apparens partus vitium, diutius laborauit: per quindecim enim horas partus protractus eſt, decimaque hora & dimidia quaſi ante partum amnii liquor profuſus, poſtquam omnis jam orificii uterini margo deletus erat. Inde lentiſſime cum corpuſculum promoveretur nihil impedimenti notavi, in molliorem modo ſub explorationem capitis tumorem mobilioremque ſimilibus aliis tumoribus incidi. Embryonem tandem elapſum inſignis amnii liquoris

*) *Cf.* LEVRET. *Suite des Obſ. ſur pluſieurs Accouchemens laborieux. Art. II. §. 4. p. 69.*

quoris copia inſequebatur & placenta, in vaginam cum ipſo fœtu depulſa, nullo labore extrahebatur. Memorabilis fuit embryonis mortui habitus, caput, abdomen ſcrotumque tumuerunt; ſeceſſit ubivis epidermis; univerſum corpuſculum molle & fuſcum, ſueta vernice alba ſeu caſeoſa, ut vocant, non tectum, maceratione videlicet ablutum; lividum ſcrotum; funis tumens, fragilis, liquore gelatinoſo pleniſſimus; molliſſima & macerata quaſi vel diſſoluta placenta. Poſtridie partus liquoris copia inſignis ex cunctis infantis poris ſudavit. Quæ cuncta autem mortem licet fœtus dudum factam indicaverint, ſolutamque amnii liquore, & juvante calore omnium partium compagem, ſimili operatione, quam diſſectores macerationem vocant, nihil tamen putredinis animadverſum eſt, nihil abſolute fœtoris, certiſſimo documento a putredine tutum eſſe fœtum, dudum licet mortuum, quem velamenta integra ſervant, aëreque intercludunt. *) Septima quaſi ante partum hebdomade, bis

*) *Similis caſus recenſetur in Ephemer. Natur. Curioſ. Cent. V. Obſ. XI. p. 26. embryonis ſpithamam longitudine aequantis, qui per 19. ſeptimanas mortuus ſine putredine in utero delituit, poſtquam ipſe a prima conceptione in decimam nonam quaſi hebdomadem increverat. & SARAH STONE Compleat Practice of Midwifry. London 1737. Obſ. X. quo in caſu quatuor ſaltem menſes ſine putredinis veſtigio mortuum embryonem integra velamenta in utero comprehenderunt. Cf. & MAURICEAU T. I. L. II. Cap. XII. p. 276. & T. II. Obſ. 498. De la MOTTE Trait. Complet des Accouchements. L. V. Cap. II. Obſ. 392. Refl. p. 600. Diverſæ molis gemelli idem ulterius confirmant. Ita gemellos natos vidi, quorum alter vivus erat, alter mortuus. In vivo quidem cuncta perfecti maxime partus ſigna notabantur, corpus toroſum, læve, mole & colore ſueto inſtructum. Mortuus fuſcus erat, rugoſus, mole corporis cum embryone ſex menſium comparandus,*

bis ceſpitante pede, in terram delapſa, graviusque pondus elevans mater peculiarem in abdomine mutationem debilioremque fœtus motum ſenſit: duodecima ante partum die omnis embryonis motus ceſſavit. Hebdomade quaſi præmaturum fœtum fuiſſe mater putavit. Parciora a partu lochia fuerunt; dolens cum mammis abdomen, capitis dolor, febris, plenus durusque pulſus. Sexta a partu die omnis ſanguinis fluxus deſiit, cum inflammatis genitalibus. Poſtridie neceſſariis uſa medicaminibus reſerati denuo ſunt ſanguinis fontes.

Epicriſis.

1) Mollius procul dubio fœtus corpuſculum dolorum ad partum vim plurimam mollitie ſua conſumens, lentiorem partum fecit,

randus, & quod præ reliquis memorabile atque deſcriptæ obſervationis fœtui ſimile, ſueta vernice alba ſeu caſeoſa in corporis ſuperficie non munitus. Nihil etiam ex mortuo embryone incommodi mater ſenſit, neque putredinis ſignum ullum in eodem obſervatum eſt. Similem eandemque multiplicem, obſervationem deſcribit Cel. TREUW *in Commerc. Lit. Noric. Vol. VIII. p. 98. & Vol. II. p. 123. Aliam* PEU. *Pratique des Accouchemenos. L. II. C. XVII. p. 541. gemellorum, quorum alter embryoni quatuor menſium comparari potuerat, quique tectus erat* d'un limon nitreux & graveleux, qui le rendoit ſemblable à un corps, qui auroit trempé quelque tems dans la ſaumure. *it. p. 536. aliam. Similem aliam* Mr. GAUDET *in* VANDERMONDE *Journal de Medicine. a. 1758. Janv. cf. &* VOELTERN *Hebammen-Schule. P. II. Cap. XV. p.* 231. J. CASPAR CESTARI *diſſertatione apologetica, in cui ſi dimoſtra, che un feto puo rimanerſi morto & incorrupto nell utero della madre per un tempo aſſai notabile ſano.* 1756. *it. Acta helvetica phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica. P. III. Anne vernicis caſeoſæ defectus foetum ante partum mortuum, a foetu, quem partus ſuffocavit, diſtinguit?*

cit, non tam ſolius mortis, quam macerationis culpa. Toties enim ſimpliciter mortuorum embryonum facillimos partus vidi.

2) Mortuo embryone ſanguis in utero reſtagnans lochia, ut videtur, parciora fecit, cum faciliore ad inflammationem, ni ars reſtiterit, diſpoſitione.

3) Externas utique violentias embryoni ſæpius fatales eſſe notiſſimum eſt.

4) Mollius ſolito more caput fœtum mortuum indicat. Cf. infra Obſ. XIV.

OBSERVATIO VIII.

Partus ob pelvim anguſtam & uterum obliquum difficilis.

Mater ulcere inueterato mortua.

Femina triginta & octo annos nata primum ſuum partum enixa eſt, per viginti & quatuor horas protractum. Præter ſummas pelvis anguſtias, quæ manum vix admitterent, nihil impedimenti notavi. Quare etiam factum eſt, ut in inſignem tumorem caput & longam formam oſſa excreverint mota. Naturæ ſoli ſine perforatorii uſu partum reliqui propter cognitam ex incremento tumoris in capite fœtus vitam & partus ipſius modicam moram. Mortuus tamen natus eſt infans, cujus capitis tumor ſecunda ante partum hora adhuc incremento ſuo vitam demonſtraverat; mortuus procul dubio *) compreſſione, quam caput in inferiorem pelvis aperturam ab eo defixum tempore paſſum eſt. Parum ſanguinis ſubinde dolorum vi expreſſum eſt. De dolorum cruciatu miſeras querelas partu-

*) *Cf. Obſ. med. de Suffocatis Satura, §. 13.*

parturiens fudit, moxque ſub initium partus vomuit. Per omnem partum tumor durus infra hypochondria ſiniſtra, in pelvim usque continuatus, notabatur: prævium contra os occipitis, ad dextra magis ilia verſum, parili modo elapſum eſt. Caput & totum corpuſculum difficulter, nato occipite, extracta ſunt, facile vero placenta ex uteri orificio jam ſoluta. Facies nati infantis capitisque tumor ex preſſione lividi erant, idemque tumor, ob preſſum ad dextra ilia occiput, in ſiniſtram regionem dimotus. Edidit femina partum hora pomeridiana quinta, mortua eſt quarto a partu die hora decima matutina. De prægreſſo ſanitatis habitu nihil reſcivi, niſi pridem infirmum eundem fuiſſe vitiatumque. Gravida femina extenuato corpore, icterica cute, ex fuſco flava, & ingratiſſimo torvoque aſpectu, nil ſalutaris eventus promiſit, meticuloſa ſimul, triſtis, taciturna, animo ſimplex (qualem olim iam fuiſſe comperi). Octo quaſi ante partum hebdomades de dextri pedis dolore, pondereque acſi mortuus eſſet, conqueſta eſt. Quoties explorabatur fœtorem vagina exhalavit. Sub initium mox partus omni incedendi potentia deſtituta lecto impoſita eſt: per omnem partum multum ſitiit. A partu malæ indolis febre laboravit, ſitiit multum, caput doluit, tumuit abdomen tumore molli, compreſſum acriter, laxum modice, maximeque pubis regio doluit; nunc tacite, nunc aperte deliravit, ſine motu pes dexter idemque brachium jacuerunt, motus tamen brachio aperta vena reſtitutus eſt. Die mortem præcedente ſoporoſa jacuit, mente alienata, incondite querula, tactus externi impatientiam vagitu indicans; immota, ſitum, in quem collocabatur, ſervans, ſine loquela vel reſponſione, oculis torvis, conniventibus. Mortis die reſpiratio accelerabatur, brevior fiebat, anhela, ſonora, oculi turbabantur, illachrymabantur, offuſcabantur, aperiebatur os, retrahebantur labia nigricantia atque arida, aridi dentes offerebantur, mucus effluebat. Frequens inde a partus initio ad mortem pulſus, ſub partum plenus durusque, a partu tenuis debilisque, ſubinde naturali ſimilis, ſubinde plenior, ante mortem, ut ſolet, in intermittentem mutatus eſt.

Sectio

Sectio cadaveris.

Præcipuam cadaveris labem puris effuſi abundantia, uterum quæ exceſit, complectitur, abdominis viſceribus ſimul vitiatis. Modicæ molis *hepar* eſt, ſubſtantiæ molliſſimæ, friabilis, ſua ſponte externa membrana a ſubſtantia ſoluta. Subſtantiæ color ex cinereo niger, ita ut utriusque coloris maculæ exiguæ ſibi immiſceantur, velut variegatum opus marmoratum, cujus fundus cinereus eſt, cum inſperſis maculis nigris. Inferioris lobi dextri, circa glandulam ſuprarenalem, ſuperficiei latiſſimæ maculæ nigræ aſperſæ ſunt. Magna inflataque *veſicula fellea* bilis copia abundat, bilis ingrate fœtentis, leviter amaricantis, binas uncias cum totidem drachmis pondere æquantis, vitroque exceptæ in binas æqualis maxime ponderis, ſubſtantias ſecedentis, craſſiorem flavamque, quæ fundum vaſis petit; tenuiorem & fuſcam, alteri innatantem. *Calculum* præterea veſicula continet, ad figuram nucis moſchatæ formatum, trium granorum pondere drachmam ſuperans. Naturalis cæterum veſiculæ cum apertis omnibus ductibus ſubſtantia. - Parvus, mollis & ater cum albis fibris *lien* eſt, friabilis, qui pari, ut hepar, modo, externam membranam dimittit. - Tenue & breve *omentum*, vix ultra tres pollices infra colon deſcendit. - *Ventriculus* binos lumbricos modicæ molis complectitur. *Inteſtina* aëre ſummopere inflata, maxime colon transverſum, paſſim rubra & inflammata, iis præcipue ſedibus, quæ in loco anteriori peritonæum tangunt: inflammatum etiam meſenterium, qua parte dorſo adhæret. pares injurias in regione inteſtini cœci peritonæum paſſum eſt. Maſſa, quæ duodenum replet, copioſa bile valde tincta, coloris ex flavo fuſci eſt: ſimilis ventriculi, utut paulo minus tincta, maſſa eſt. Pleraque abdominis viſcera magis minusve concreverunt *), hic ipſis ſubſtantiis

*) *Cf.* TH. BARTHOLINVS *Act Hafn. Vol. III. Obſ. 64.* & *plura exempla in Diſſ. de Scirrho uteri. p. 24.*

ſtantiis, illic glutine quaſi, ſeu ſpiſſiore gelatina juncta. Ita firmiſſime cum liene colon cohæret, veſica lotii cum uteri cervice, cum veſicula fellea & hepate colon. Præ reliquis vero obſervatis iter puris memorabile eſt. Tota videlicet renis dextri tunica adipoſa, reſoluta pureque pinguedinis loco referta, fontem puris ſuperiorem aperit, ex quo ſinus purulentus, inter muſculos pſoadem & iliacum, cum majoribus nervis in pelvim deſcendens, omnem fere pelvis amplitudinem inter viſcera copioſo pure flavo replet: zonæ in modum, duos pollices quaſi latæ, inter uterum & veſicam ad ſiniſtram pelvis regionem pergit, trium modo quatuorve linearum latitudine cervicem uteri tegens, reliqua parte uteri corpus ambiente. In dextro quidem latere zona pollicem ſaltem latior ſenſim, quam in ſiniſtro, magisque in verticem deſcendens pejus ulcus formavit, copioſiſſimo liquore fuſco & fœtente refertum. Omnem non ſolum iſtius lateris celluloſam telam depaſtum vicinas partes nigro colore & fœtido odore infecit, ſed ipſius etiam uteri partem conſumſit, quin cervicem ita perforavit, ut pollicem longus in uterum hiatus penetraverit, cujus duo labia ſeſe maxime collapſa tangunt. Ad initium quidem cervicis, mox infra uteri corpus, extenuata uteri ſubſtantia, dextraque in ſede, quæ latum ligamentum exigit, gangræna *) conſumpta, mollis & tenerrima, iſto foramine perforatur. Sola pars dextra exiguaque poſterior ulceris, quæ hiatum ambit, fuſca eſt, reliqua vero omnis flavo, veroque pure dives, quin ipſa ſentina fuſca poſteriori margine flavo, aliquot lineas lato, finitur. Superior dextri iſtius ulceris fœtidi pars ad ſemipollicis ſaltem amplitudinem pone uterum continuatur, & in flavedinem denuo mutata, in poſteriori uteri ſuperficie aliquid exeſit. In ſiniſtro latere flavum pus, vix læſa ſubſtantia uteri, inter uterum veſicamque

*) *Caſum ulceris cancroſi ad uteri cervicem, ex cauſa externa nati v. Ephem. Nat. Cur. Cent. III. Obſ. LXV. p. 147. Ulcus etiam & cancrum colli matricis deſcribit* BLANCAARD *in anatom. practic. Obſ. XVI. p. 219.*

que, & ſuperius inter membranam uteri externam ipſamque ſubſtantiam effuſum eſt. Minus aliud ulcus in celluloſa exceſa, qua parte colon ſiniſtrum infra lienem cum peritonæo cohæret, latuit, copioſo etiam pure refertum. Pinguedinis particulas, puri immixtas, in omni ulceris flavi ſede, ipſamque pinguedinem in pus reſolutam eſſe, apparuit. Tenujus paſſim & reſolutum pus fuit, paſſim craſſius. Interiori uteri & vaginæ ſuperficiei, craſſius quidam, in membranam quaſi concretus, fuſcus, fœtens humor tenaciter adhæret, qui cum ſanguinis fibroſis particulis conglutinatus eſſe videtur. Ipſa uteri ſubſtantia dextra, in corpore & cervice, fuſcas & nigricantes lacinias exigit: ſimiles ex vagina dependent, maxime in parte inferiori. In poſteriori uteri ſuperficie interna lata inflammationis ſtria deſcendit, pollicem lata, quatuor longa; atra etiam & repleta vaſa apparent. Paſſim etiam profundæ in vagina foveæ inflammatæ ſunt, quin nigræ & initio gangrænæ vitiatæ; cinerei ſunt colliculi eminentes. Nigra maxime eſt pars anterior, laciniasque ſimiles effert. Modice etiam inflammata ſunt ovaria, magis illa peritonæi pars, ex qua pendent. Ita inflammata eſt tuba dextra, ut amplior pars nigreſcat. Nihil inflammationis in ſiniſtra comparuit. Expanſa uteri moles purisque abundantia veſicam lotii & inteſtinum rectum ita preſſerunt, ut anterior poſteriorque horum viſcerum ſuperficies ſine medio cavo ſibi appoſitæ fuerint. In triangularem formam, ut ſolet, veſica ducta unum angulum ſurſum emittit, duo in loco inferiori ad latera. Ad pelvis ſiniſtram ſedem ex ſiniſtro colo inteſtinum rectum delabitur.

Neque penitus thoracis viſcerum habitus prætermittendus eſſe videtur.

Sine liquore effuſo thoracis cava ſunt: neque ulla ſede pleura inflammatione laborat. Parvum cor copioſa pinguedine flava tegitur.*).

Sini-

*) *Cf. Hiſtoire de l'acad. Royale de Scienc. A. 1732. Obſ. anat. I. p.*

Siniſtrum ventriculum integrum fere polypus replet, in omnes receſſus productus; qui extenuatus ſenſim & in apicem excurrens in aortam continuatur. Craſſa etiam portio in auriculam producitur, cujus reliquum ſpatium ſanguis craſſus & grumoſus farcit. Exiguus alius polypus, inter valvularum tendines inſinuatus, in ventriculo dextro collocatur; alius craſſus cum præcedente cohærens pone valvulam arteriæ pulmonalis oſtium tegentem latet. Auriculam craſſus ſanguis opplet. Pulmones fuſci pleuræ in coſtæ primæ & ſecundæ loco utrinque junguntur; lingularum ope in ſiniſtro latere, ipſis ſuperficiebus in dextro. Margo etiam pulmonis dextri inferior lingulis in diaphragma producitur. In externa pulmonum ſuperficie copioſæ bullulæ aëreæ eminebant. Cuncta externæ membranæ vaſa ſanguine refertiſſima, arterioſa intenſe rubebant, venoſa livebant, velut artis ope repleta. Sanguinea vaſa effuſus cruor comitabatur. Integer fere ſiniſtri æque ac dextri lateris lobus inferior effuſo ſanguine ſatur eſt. In pulmonum ſubſtantiam celluloſam, qua internam, qua externæ membranæ ſubjacentem, ſanguis paſſim effuſus maculas rubras lividasque formavit, gravioris febris prægreſſæ ſuetas ſequelas. In cerebro nihil morboſi comparet, ſed apprime repletis cunctis encephali, meningum, plexus choroidis & utriusque ſubſtantiæ, vaſis, rubræ arteriæ, lividæ venæ turgent majores minoresve: modica ſeri e cinereo fuſci copia ſine ullo ſanguine in ventriculos effuſa eſt: tenuem, vermis ſimilem, polypum ſinus falciformis complectitur.

Epicriſis.

1) Ex qualicunque cauſſa, pridem procul dubio, formatum ulcus in pelvis celluloſa interſtitia erepſit, latensque cervicis ſubſtantiam dextram eroſit, eroſum effluxit effluxumque explorantem digitum

l. p. 28. ubi D. Hunauld bene notat, pareum junioribus in corde pinguetudinem eſſe, copioſam adultis.

gitum conſpurcavit: infeſtum etiam inferioribus nervis dextris in iſto latere pedem non ſolum gravavit, ſed vitio abdominalium viſcerum, ut ſolet, junctum pejora hypochondriaci mali ſymptomata excitavit. Deſcendens dein in partu embryonis caput, congeſtum pus in pelvi, & nervos ita preſſit, ut ingrediendi facultas, cum cruciatu acri, omnis perierit: idemque vaſcula quædam, ſanguinis parum profundentia laceravit, & ſuperficiei genitalium ſtrictiſſime appreſſum lacinias deterſit. Capiti vero embryonis non ſola pelvis anguſtia naturalis reſtitit, ſed naturalem etiam amplitudinem multum imminuens puris repletio: obliquus etiam ſitus impedimenta auxit. Inde factum eſt, ut cervice uteri inter caput pelvimque diu preſſa inflammatio ſecuta in gangrænam tranſierit, malæ indolis febrem accendentem. Facilem autem, ob præſens jam pus & cervicis eroſionem, in inflammationem & gangrænam ulcus formatum fuiſſe, morbi æque hiſtoria, ac cadaveris ſectio docet; in primis ſi ad nucleum fuſcum ambitumque flavum ulceris attendamus, memorabile ſane phænomenon.

2) Symptomatum deſcriptorum fatale ſodalitium ad gangrænam, abdominis viſceribus in pejori febre, illa maxime quam putrem vocant, non infrequentem pertinet. Quæ paſſim in reliquis, præter uterum, abdominis viſceribus inflammationes comparuere, pejorem illam uteri comitaſſe putandum eſt.

3) Quædam alia inſuper, neque ad partum proprie ſpectantia, neque fuſius nunc proſequenda, memorabilia tamen phaenomena, omni attentione indigna non ſunt. Ita memoratu dignæ ſunt hepatis lienisque labes, cum bilis vitio & calculo, cauſſæ procul dubio effuſi in abdomen puris, vel ſaltem juncta vitia. Puris iter in celluloſa tela, parte minus reſiſtente; puris natura gelatinoſa, nunquam non mihi in ulceribus internis viſa, & viſcera conglutinans; pinguedinis pure ſolutæ facilis in ipſum pus tranſitus, ad puris ortum & naturam intelligendam utique faciunt. Perpetuo a partu, ſine cerebri vitio, ægra delirio laboravit. Cordis polypi morbo

procul

procul dubio originem ſuam debent. Pulmonis vitia ad ſanguinis venoſi in febribus congeſtionem mortisque in omni febre præcurſorem peripneumonicum pertinent. Ob eam congeſtionem peripneumonicam ante mortem in cerebri ventriculos ſerum effunditur. Pulmonum adhæſiones plerisque morbis adjungi ſolent.

4) Vteri incrementum, ob puris in dextro latere abundantiam, in ſiniſtra hypochondria magis, quam dextra factum mihi eſſe videtur, & in oppoſitam plagam ex obliquitatis in utero lege dimotum caput. Ad obliquum etiam capitis ſitum lateralis in capite tumor pertinet.

5) Rupti uteri ſine fœtus in abdomen effuſione deſcriptus partus ſpecimen præbet *).

6) Pelvim utique, ſi partus ratio ſit, juſto minorem obſervari, deſcriptus caſus confirmat. Superioris æque aperturæ, ac inferioris (hujus tamen magis) dimenſiones ſolitis haud parum minores ſunt. Superioris ſpeciatim aperturæ non recte ovatæ, ſed fere triangulæ, velut in virili pelvi obſervari ſolet, diſtantia ab oſſe ſacro ad oſſium pubis ſymphyſin tres cum dimidio pollices pariſin. æquat; diameter in loco poſteriore $4\frac{3}{4}$ pol. quæ vero latitudo, ab oſſe ſacro vicina, ob antrorſum convergens triangulum, mox minuitur; quum in bene formata pelvi maxima latitudo non multum à medio axi transverſo ad poſteriora diſtet. Hiatus lateralis aperturæ inferioris, ſive tuberum iſchii diſtantia, tres pollices tribus lineis ſuperat: oſſis coccygis apex ab oſſium pubis arcu vix tres pollices diſtat **).

OBSER-

*) *Ejusmodi caſum etiam recenſet* CHARLES GUILLEMEAU *de la groſſeſſe & aocouchement des femmes. L. II Cap. XIII. p. m. 226.*

**) *Similem fere pelvim deſcribit* GEORGE COUNSELL *Art. of Midwifry. fig. 2.*

OBSERVATIO IX.

Caput prolapſum cum latis humeris & abdomine. Partus arte perfectus.

Femina, quæ anno ætatis decimo quinto primum fœtum exixerat, anno trigeſimo ad ſecundum partum compoſita eſt. Prima quidem partus initia optima fuere atque celerrima. Cum interdiu primi dolores incepiſſent, circa inſequentem mediam noctem, toto orificio uteri deterſo, partus initium poni potuit. Hora ſecunda matutina perpetuus jam ex utero in vaginam, toto ore aperto, canalis licet patuerit, in altiſſima tamen ſede locatum caput ab omni exploratione removebatur, ſola amnii veſica expanſa, quæ mox tamen deſcendit, atque hora tertia & dimidia in ipſo ſinu diſrupta liquorem ſuum effudit. In ſuperiori vero pelvis apertura hactenus moratum caput ſenſim inde deſcendit ita, ut quadraginta minutis a quarta hora elapſis integræ jam in ſinus anguſtias delapſæ aures & faciei pars comparuerint. Nunc ex lege naturæ recte locatum caput uterus expuliſſet, ni grave obſtaculum idem cohibuiſſet. Subſtitit autem, dolorum licet vis contemnenda non fuerit. Quo viſo tempora manus meæ ita amplexæ ſunt, ut forcipem æmulantes caput ad collum usque depreſſerint. Denuo reſtitit caput ſine ullo reſpirationis vel vitæ ſigno. Cunctante auxilio cum fœtui, procul dubio viventi, inimicus eſſe nollem, dimoto leviter ad dextram matris ſedem capite, dextram manum inter collum fœtus & genitalia matris, non ſive gravi difficultate matrisque cruciatu, ob ſtricta genitalia, eo ſcopo demiſi, ut ſiniſtrum fœtus brachium ſolverem. Quo facto parili porro methodo dextrum fœtus brachium, in oppoſitam plagam leviter dimoto capite, ſiniſtra manu extraxi. Solutis brachiis, nondum vel vitæ ſignum edidit fœtus, vel ex dolorum vi, validam licet expertus ſit, fructum percepit. Quamobrem prehenſo thorace agitatus fœtus poſt varia molimina excutiendus fuit. Quinque quaſi horæ minutis primis tota operatio circumſcribebatur.

In nato puero humerorum, artuum totiusque corporis amplitudinem notavi, quæ plures menſes natis familiaris eſſe ſolet, capitis etiam proportionem, qualis iſtiusmodi puero propria, id eſt fœtu minorem, quamvis & ipſum amplum longumque fuerit. Pondere infans octo libras dimidiamque unciam, longitudine duos propemodum pedes æquavit *). Facie modice lividus mortuique ſimilis, cum naſceretur, mox digito ori immiſſo, excitatus eſt **). Vterus dein placenta decorticatus eſt.

Epicriſis.

1) Rarior partus ſpecies eſt, quam vano metu ſuperioribus tempeſtatibus frequenter timebant. Petrus Foreſtus ***), celebris Medicus Alcmarianus, de Jodoca Teylinga, ſeu Juſta, ſocro ſua, quæ viginti proles ex marito ſuſceperat, refert, eam filias ſuas, iſtiusmodi partus metu, collocare noluiſſe viris latos humeros habentibus. Diſſimulare autem non debemus, in humerorum obſtaculo ſitum magis, quam molem accuſandam eſſe, ſitum nempe, quo humerorum unus oſſi pubis inhæret, alter oſſi ſacro, fœtu in latus converſo ****).

2) Si unquam ſerotinus partus fit, deſcriptus certe ex iſto numero eſt: ſummum ſane, quod unquam in recens nato infante notavi,

*) *Cf. Comment. Soc. Reg. Gotting. T. III. Comm. X. n. II. p. 411.*

**) *cf. Obſ. Med. de Suffocatis Satura. §. 10.*

***) *Obſervat. Medicinal. L. XXVIII. Obſ. LXII. p. 748.*

****) *cf.* VAN HOORNE *Siphra & Pua. P. II. Cap. XX. p. 144.* LEVRET *Suite des Obſ. ſur les accouchem. laborieux. Art. I. Elem. Art. Obſt. §. 533. ſqq.*

tavi, pondus *), proportiones partium corpuſculi & rara difficultatis in partu ſpecies ejusmodi ſuſpicionem movent. De tempore conceptionis nihil reſcire potui. Quinque quaſi menſes ante partum embryonis motum ſe percepiſſe mater dixit; d. 24. Nov. a. 1753. enixa eſt partum, atque ad feſtum Pentecoſtes ejusdem anni primum embryonis motum retulit.

3) Ex faciei ſitu cognoſcere potui humeros ſueto more collocatos eſſe; quare impedimentum vel lati humeri, vel decuſſatim ſiti, vel tumens abdomen, vel monſtroſa fœtus forma objecit: cunctis vero iſtis in caſibus brachia ſolvi debuerunt ipſeque fœtus attrahi. Nil funis fœtus collo circumpoſitum fuiſſe digito exploranti tetigi.

OBSERVATIO X.

Poſterior capitis pars ex obliquo utero prolapſa. Verſione partus abſolutus.

Femina anno ætatis vigeſimo quaſi, ſanguine & ſuccis repleta, primum uterum naturali more geſſit, niſi quod abdomen ſupra os pubis bene multum dependerit. Cætera exploranti digito ſueto fere

re

*) *Neſcio, quid ſentire debeam de pondere XXII. librarum, quod fœtui ex ſecto abdomine tracto tribuit Dn.* BUZAN *apud Dn.* LEVRET. *Suite des Obſervat. ſur pluſieurs accouchements laborieux. p. 77. & XXIII. librarum civilium fœtus, cujus mentionem facit Henricus Nepomucenus* CRANTZ *in Commentar. de rupto in partus doloribus à fœtu utero p. 55. & XXV. medicarum, quas memorat Dn.* LEVRET *l. c. p. 192. - cf. & Comment. Soc. Reg. Gotting. T. III. Com. X. p. 410. ſq. Fœtus XX ℔. ſuperioris mentio fit in* VANDERMONDE *Journal de Medecine T. I. P. V. S. II. 2. p. 364., qui uterum ob enormem molem laceravit.*

re more oblata ſunt, os uteri *), caput prævium, ultimo tamen menſe mobilius, ac in plerisque feminis eſſe ſolet &c. A primo partus initio ad amnii veſicæ lapſum octodecim omnino horæ præterierunt, quo toto intervallo lente **) orificium quidem apertum amniique veſica elevata, caput autem in ſuperiorem pelvis aperturam defixum non eſt, ſed mobile manſit. Tandem lapſo illo tempore, hora ſexta veſpertina vehementiſſimus dolor, cum acri cruciatu & matris vagitu, amnii veſicam ſubito extra ſinum externum depulit, in ſinus directione ab anteriore parte in poſteriorem longam, ex petiolo quaſi extra ſinum ita pendentem, ut globum aqua refertum exhibuerit. Quam ob rem nihil amplius ex hac veſica laxa, dilatato fere orificio, fructus ſperans, eo ſcopo eandem laceravi, ut prona ad capitis habitum explorandum via aperiatur. In membranulas protinus explorans vaginam replentes, inde in caput incidi, cujus fontanella arcui oſſis ſacri prominenti, parum ad latus dextrum, obvertebatur ea ratione, ut ad ſiniſtram ſedem pelvis apertura ſuperior capite vacua manſerit. Semipollicem quaſi latus in uteri ſegmento inferiori & anteriori ſuperſtes erat margo, poſteriori ad os ſacrum fere deleto, qua ſede & funis pars tangebatur. Quid juvare poſſit dolorum impetus, caput depellens, primum præſtolatus ſum. Parum autem præſidii dolores ſpondebant, rariores, debi-

*) *Os uteri, ceu ſemper fere fieri ſolet, altum quidem, digito tamen attingendum, ad ilia ſimul dextra locatum fuit, ſive verſus angulum imaginarium, quem ſacrum os cum oſſe ilium dextro intercipit. Clauſum in medio ad partus initium manſit, cum parum aperta, ad inferiorem apicem, rima transverſa, cujus ora, duobus quaſi arcubus ligamentoſis cincta, tenſa maxime fuit.*

**) *Dolores per primas 15. horas debiles fuere & tergiverſantes, ſenſim inde & vehementia & frequentia aucti. Per omne etiam tempus parturiens fœtus motum ſenſit, & ligamentoſa in ambitu orificii notari potuit ſtrictura.*

debiliores, ſenſimque ceſſantes. Quum per binas propemodum horas fruſtra dolorum ſubſidia expectaſſem, de verſione cogitavi. Parari in hunc finem curavi lectulum extemporalem, cui parturiens cum impoſita eſſet, manusque dextra ſedem pelvis ſiniſtram ſuperaſſet, ad fundum uteri pergens, pedes fœtus prehenſos ad uteri usque oſtium detraxi. Ultra cubiti articulum, pro apprehendendis pedibus, dimittendum in vaginam brachium fuerat. Ex funis pulſu vitam fœtus cognovi. Cum pedes traherem non amnii modo liquoris reliquum effluxit, ſed brachium etiam alterum ſimul delapſum eſt, nullo negotio a pede diſcernendum. Detractis quidem in oſtium uteri pedibus extremis reliquum extractionis negotium facile fuiſſet, ni capitis ſitus impactus iliis dextris, molesque reſtitiſſent: quibus quidem impedimentis factum eſt, ut trahens pedes figerem magis caput cum ſuperiori trunci portione, pedibus videlicet verſus abdominis plagam reflexis. Ad faſciæ itaque uſum, adeo egregium, confugiendum erat. Nihil vero inſtrumentorum apparatus cum ad manus eſſet, ligaculum ad alterum extremum inciſum, in pedem ſiniſtrum, ad oſtium vaginæ ita tractum, ut digitorum ultimi apices comparuerint, velut faſciam ſuetam, firmavi, firmatum traxi, dum manu ſimul ſiniſtra, in vaginam demiſſa, caput repreſſum in eandem propemodum cum pedibus directionem duxerim. Soluto ad inguen pede ſiniſtro, dexter etiam, digitum poſtquam inguini inſerueram, facile decidit. Dorſo porro quod truncus incumberet, facili artis lege in abdomen fœtum revolvi, revolutumque ad axillas dejeci. Omni vero extractionis molimini caput cum illuderet, axillas è vagina ſolvi: quibus ſolutis, altera manu occiput depreſſi, altera oris hiatum; ita agitatum nonnihil caput extractum eſt. In nato puero nil vitæ amplius percepi, ſed caput amplum & funem bis collo circumpoſitum, quare etiam ab eo tempore, quo depulſos pedes traxi, ſanguis è genitalibus profluxit, ſuaque etiam ſponte ſoluta ab utero placenta vagina nullo labore excuſſa eſt. Non ſine labore ſudoreque operatio perfecta eſt. Optime à partu mater valuit.

Epicriſis.

1) Scopo exciderem, ſi in præſenti in univerſum de obliquo infantis ſitu doctrinam inquirere vellem, id unice ſubmonere licebit mihi, deſcriptum partum ad pejorem ejus ſpeciem referri debere, qua truncus corpuſculi in anteriorem magis plagam propendet, quam umbilicum matris verſus aſcendit, caput vero ad os ſacrum ita dirigitur, ut nucha cum occipite offeratur facieſque ſurſum ſpectet. Nimis â pelvis axi hic ſitus, funis ſtrictura ulterius vitiatus, recedit, quam qui naturæ viribus committi poſſit; neque etiam corpuſculi ſitum corrigeremus, ſi manu vel vecte occiput deprimeremus: vitioſam potius atque naturæ viribus non vincendam curvaturam faceremus. In deſcripto etiam caſu caput ad ilia dextra dimotum iſti depreſſioni obicem poſuiſſet. Solemus etiam in remoto adeo capite & aliqua pelvis libertate converſionem in pedes forcipis applicationi anteponere, difficiliori eo caſu, vixque perficienda cum amplius eſt caput, plures etiam parturientis cruciatus excitante.

2) Mobilius caput & obliquum orificium, cum abdomine pendente è longinquo jam difficilioris partus ſpeciem ex obliquo ſitu in poſteriorem & dextram ſedem indicabant.

3) Lentiſſima omnino orificii & inæqualis dilatatio obliquum uteri ſitum & prominentem veſicam ſolam ſine capitis impetu agnovit: ipſa velamentorum veſica in ſphæræ ſegmentum non expanditur, ſed longa propendet.

4) Id incommodi verſionis artificium premit *), quod preſſo umbilici fune inter operandum fœtus pereat, ſi capitis moles vel iniquus ſitus moras faciat, aucta à funis ſtrictura in præſenti caſu & difficultate & mortis periculo. Negligere tamen iſta pericula, aliis auxiliis deſtituti, debemus, quamvis in pedes converſionem pro exopta-

*) *Elem. Art. Obſt. §. 252.*

exoptatiſſima partus ſpecie cum *De la Motte* *) habere nequeamus.

5) Inſtrumentorum apparatu deſtitutus domeſticum ſupellex in ſuos uſus vertere prompto præſidio ſcito operator.

OBSERVATIO XI.

Partus lentus propter orificium uteri collum embryonis ſtringens.

Prima vice femina, cum ageret annum ætatis vigeſimum quartum, ad partum compoſita naturalem, diutius, ac apparentes ſpecies minitabantur, laboravit. Primum enim dolorum impetum hora ſexta matutina ſenſit: hora veſpertina nona uteri orificium, ut digiti latitudine margo ſuperfuerit, dilatatum eſt cum capitis & veſicæ in ſuperiorem aperturam lapſu. Per omnem hunc diem embryonis motus non obſcurus fuit: Aliquoties etiam parturiens vomuit multumque quiritavit. Inde ſenſim in vaginam caput deſcendit, ita ut hora tertia cum dimidia matutina ſequentis diei amnii veſica, in conum fere acuminata, mox pone ſinum hæreret. Iſtum deſcenſum frequentes quidem ſed breviores debilioresque dolores promoverunt, junctis unico primum vomitu & aliquot inde conatibus. Pudendorum ſinus cum perineo rigidiſſimus reſtitit. Amnii liquore dein profuſo caput ſine ulteriori deſcenſu in durum magnumque tumorem excrevit, impellentium vis dolorum licet non remiſerit, ita ut obſtaculi aliquid corpuſculum retinere ſine hæſitatione animadverti potuerit. Vigeſimo & quinto minuto primo ab hora undecima caput tandem in ſinum ipſum detruſum & aliis quinque minutis lapſis extractum eſt, extractum autem cum inſigni difficultate & operatoris defatigatione; neque minor vis pro reliquo corpuſculo

*) *Trait. Complet. des accouchem. L. I. Cap. XXIX. ſ. 234.*

ſculo protrahendo requirebatur. Parum liquoris amnii corpuſculum inſecutum eſt. Quinque à partu minutis elapſis placentam, pone os uteri quæ ſoluta ſua ſponte latuit, ſine decorticationis negotio extraxi. Lentor effecit, ut aliquo inflammationis tumore genitalia à partu laboraverint, mox vero poſtquam ſuctum cataplaſma emolliens impoſitum erat ſubſidente. Debilitate etiam virium à partu laboravit mater, intra hebdomadis intervallum reſtituto robore. Lochiorum fluxus recte partum excepit.

Epicriſis.

Triplex omnino lentioris partus impedimentum accuſare mihi licet; capitis amplitudinem, rigidum ſinum & ſtringens orificium uteri. Amplum quidem caput & aſpectus indicavit & dimenſio: ex naturali enim globo in longam formam, ut ſolet, ductum, quatuor cum dimidio pollices longitudine aequavit, latitudine autem tres pollices cum duabus lineis. Minor tamen in iſtam amplitudinem culpa obſtaculi conjici poteſt. In ſuperiorem æque pelvis aperturam, ac ipſam capacitatem ſine adeo inſigni difficultate cum integra amnii veſica caput deſcendit, tumque demum, cum e ſinu elabendum erat, obicem ille ſinus rigidus oppoſuit. Interea temporis os uteri circa anguſtius capite collum ſtringi, velut laqueus quidam, & potuit & debuit. Quum enim orificii uterini anguſtias caput ſuperavit, iſtud orificium deterſum penitus, ecu alias fieri ſolet, non fuit, ſed in limbum durum rigidumque dependens, atque à deſcendente capite ad vaginæ parietem repreſſum; retractum denuo conſtrictumque, poſtquam delapſo capite ſolum collum anguſtius reſtitit. Livida etiam, quæ univerſum collum ambiit, zona ſtricturæ iſtius ſuſpicionem multum auxit. Vitæ filum iſtam ſtricturam infanti præcidiſſe mirum non eſt *).

OBSER-

*) *cf. de infante uberior expoſitio corpuſculique ſectio. Obſ. de Suffocatis Satura §. 4. & 6.*

OBSERVATIO XII.

Prolapſa facies.
Vecte admoto partus abſolutus.

Sexta vice cum femina, triginta & ſex annos nata; parturiret, duodecima quaſi à partus initio hora amnii liquorem profudit. Præviam mox faciem explorans obſtetrix notavit ad ſiniſtrum latus verſam. Partus licet dolores valido impetu corpuſculum preſſerint, nihil tamen caput promoverunt. Ipſe itaque vocatus nona quaſi à liquoris profuſione hora ita ad apertum orificium prolapſum caput deprehendi, ut ſuperiori pelvis aperturæ verſus ilia dextra frons inhæſerit, facies vero ad ſiniſtram plagam modice aſcendendo proceſſerit, perquam tumentibus genis & fronte, naſo exiguo, oculis depreſſis, atque adeo cunctis partibus difficulter diſtinguendis: ſiniſtra faciei pars in oſſa pubis defixa fuit. Inde ad os in ſiniſtra & ſuperiori pelvis regione collocatum pergens, prominentem maxillam ſuperiorem notavi, digitoque ori illato, linguam mollem, tumentem motamque. Prona in fœtus vitam concluſio fuit. Maxillæ quidem ſuperioris ope caput attrahere tentavi, ſed fruſtra id factum eſt. Laxa cum fuiſſet vagina, aperta, nullo labore integram manum admittens, ulterius ad occiput penetravi, dextri oſſis ilium expanſioni inhærens, idem aliquoties ſed irrito labore, in pelvis aperturam depreſſurus: nondum enim ſuperiorem pelvis aperturam caput opplevit, hiatu in ſiniſtro latere, inter faciem fœtus & ilia matris relicto. Cæterum viribus licet valuerit femina, tentataque doloribus validis ſit, nihil tamen vel caput promotum eſt vel occiput depreſſum: tumor modo faciei auctus vitam fœtus temporius ſervandi forcipe admota ſtimulum ſubdidit mihi. Eo tutius autem id conſilii capere mihi licuit, quo melius parturiens valuit naturali pulſu, lingua totoque corporis habitu inſtructa. Integram vero forcipis applicationem fœtus poſitus impediuit. Parcendum omnino erat, ad ilia matris ſiniſtra, faciei, & temporibus potius prehenſis caput excutiendum. Ita ſane forcipis brachia in pubis regio-

ne & oſſis ſacri demitti debuiſſent: capitis vero pars quoniam oſſibus pubis inhæſit promoveri iſta in ſede forcipis brachium non potuit. Omni itaque tractionis conſilio poſito de vecte cogitavi, & alterutro forcipis brachio ad ilia matris dextra ita penetravi, ut ejusdem apex occiput inter & ilia dextra adigeretur, brachium ipſum manui meæ ſiniſtræ, vaginam replenti, velut hypomochlio cuidam, inniteretur. Qua arte id præſtiti, ut eadem opera & dolor ad partum urgere & ego vectis apice verſus ſiniſtram ſedem moto occiput ſolvere atque in ſuperiorem pelvis aperturam ducere potuerim, quo ſoluto nonnullorum dolorum vis integrum caput excuſſit hora decima. Quum facies oſſibus pubis obverſa extra vaginam comparere cœpit, mortui ſimillimus, ut fieri ſolet, puer fuit; natus etiam per horæ quaſi minutum, neque ſpiritum duxit, neque vagiit, ſed ſolos artus leviter movit: quamobrem digito ori immiſſo ad reſpirationem eum excitavi. Ingratus cæterum pueri aſpectus, totum corpuſculum meconii viridi pigmento tinctum; caput magnum; inſignis ad occiput tumor; ſimiles genarum, frontis & palpebrarum tumores, qui monſtri ſimulacrum quoddam fecerunt: ipſi tumores rubicundi, duri, qui tamen preſſi foveam gerunt., liquoribus in celluloſam telam effuſis: ad ſiniſtrum vero oculum inflammatio levis, qua parte etiam capitis, quod oſſi pubis inhæſit, impreſſio fuit; univerſa facies livida. Mox lintea vino calido ſuccida faciei impoſita cum eſſent veſperi ejusdem diei naturalis faciei capitisque forma reſtituta eſt. Optime etiam mater, ut in optimis puerperiis fieri ſolet, valuit cum ſua prole. Nullo labore placenta extracta eſt. Per omne partus intervallum uteri moles dextram abdominis regionem magis quam ſiniſtram replevit. Sub explorandum etiam aliquid ſanguinis profluxit.

Epicriſis.

1) In deſcripto ſitu fœtus, qui naturali modo abdomini incumbere ſolet, in dorſum revolutus eſt, quare neceſſario prima delabi frons cum facie debuit atque occipite iliis infixo ſolis naturæ viribus

ribus partus abſolvi non potuit. Pedibus fœtum extrahere in hoc ſitu ob exiguum ad capitis latus hiatum & leviorem multo tutioremque vectis operam nolui. In omni enim converſione in pedes preſſio funis vitæ periculum inducit (cf. obſ. X.).

2) Facies prævia ſolet fœtum variis tumoribus vitiare, monſtri effigiem præbere, æthyopis formam aliaque, facili opera diſſipanda, ſolo humorum circuitu naturali & calore externo vel reſolvente medicamine, ſimplici ſaltem calido vino, linteamina inebriante *).

3) Profluens meconium fœtum quidem preſſum debilemque indicat, mortui autem ſignum eſſe nequit **).

4) Egregium utique vectis inſtrumentum eſt, nollem tamen eidem ut univerſali ferramento fidere in prolapſo capite. Ex ſuperiore obſervatione liquet, præferendum interdum eſſe verſionis artificium; ſequentes docebunt, forcipem non nunquam præſtare, quin ad ipſum, ſi matri parcere volumus, perforatorium confugiendum eſſe. Sit itaque cuilibet auxiliorum generi ſuus honos proprioque judicio in diſcernendis malis malorumque remediis uti diſcat operator. Vel me non monente ultro ex dictis intelligi poteſt, quale pretium figulino iſti bello, quod noſtra tempeſtate in Batavia de ferramentorum præſtantia & Roonhuyſiano arcano geritur, ſtatuendum ſit.

OBSER-

*) *cf.* PEU *Prat. d. accouch. L. II. Cap. V. p. 380.*

**) *cf. obſ. med. de Suffocatis Satura. §. 6. n. IX. Caterum ex deſcripta obſervatione multa eorum confirmantur, quæ in cit. Progr. diſputantur.*

OBSERVATIO XIII.

Prolapſa facies.
Forcipe fœtus vivus extractus.

Prima vice femina, tenuis corpore & arida, nonum ſupra vigeſimum ætatis annum agens, ſtrictioribus genitalibus inſtructa, cum parturiret, lentiori partu vexata eſt ita, ut integrum nychtimeron lapſum ſit, donec à partus initio velamentis ruptis amnii liquor, cum parca ſanguinis quantitate inſequente, profuſus ſit. Præſens obſtetrix nimis remotam partem præviam prius non aſſecuta eſt, quam aliis duodecim horis elapſis, quo tempore profluens meconium & depulſam faciem oblique ad ilia dextra ſimileque os pubis notavit. Poſtquam inde per quinque horas nihil dolores emolumenti attulerant vel capitis depreſſionis, vocatus dictum capitis in pelvim delapſi ſitum tetigi, partes etiam faciei tumentes & longum occiput, ſurſum in uterum prominens. Manu primum dextra ad ſiniſtram vaginæ ſedem promota, cum matris cruciatibus occipitis depreſſionem ſine ſucceſſu molitus ſum: inde ſine mora ad forcipis uſum me recepi, quæ temporibus fœtus ſupra aures artis lege applicita cum modica capitis detractione, primum ſola ſine fœtu elapſa eſt. Ulteriorem matris ejulatus forcipis acceſſum non admiſit. Felicior fuit altera protinus facta applicatio, cui & id artificii addidi, ut trahens una manu forcipem, faciem, mutata capitis obliquitate, ad oſſa pubis flectendo verterim, occiput ad os ſacrum; altera gnaviter perinæum repreſſerim. Gravi molimine, tenaci labore, validaque forcipis comprehenſione, caput tandem vagina excuſſi, quod extra vaginam propendens, ut ſolet, mortui ſimile fuit. Ut corpus inſequatur, caput dum traherem, tenax abdominis obſtaculum notavi, ad quod vincendum maſcula tractio, fœtus ad os ſacrum depresſio, ipſiusque perinæi repreſſio requirebantur. Cum ad abdominis regionem corpuſculum extractum eſſet, funem brachio ſiniſtro circumpoſitum ſolvi. Nata puella per horæ quaſi minutum mortuæ ſimi-

ſimilis, tandem artus leviter traxit reſpiravitque, aucta ulterius & excitata reſpiratione, poſtquam os digito expurgaveram. Similis etiam, ut ſuperioris obſervationis, puellæ ingratus aſpectus fuit, isque palpebrarum tumor, ut integerrime ſine aperiendi facultate oculos clauſerint, ſimilisque labiorum oris, ut naſo ſimul detorto, fœde os hiaverit; cunctæ cæterum faciei partes duræ atque lividæ. Occiput magnum, magna ipſa puella meconio tincta. Pari etiam modo ſolis linteis, vino calido ſuccidis tumores primo die ſoluti ſunt. Sine difficultate obſtetrix, funem tendens, placentam extraxit. Optime mater per omnem partum, cum pleno frequentique pulſu, valuit, felixque puerperium transegit.

Epicriſis.

1) Præcedentis obſervationis momenta hæc altera confirmat. Forcipe integra uſus ſum, quod ejusdem applicationem embryonis poſitus non impedivit. Repetita forcicis applicatione *) aliquoties, cum tenaciter fœtus infigitur, & in pelvis capacitatem integrum caput delapſum non eſt, in ſuperiore apertura remorans, ſuperſedere non poſſumus. Prior caput fœtumque cancellis exſolvit, ſequens extrahit. Forcipis preſſio cum integra prolis vita fieri poteſt, atque adeo forceps ad mitius inſtrumentorum genus referri debet, anceps tamen idem, & graviori in caſu, cum ſtrictiſſima preſſio diutiusque protracta requiritur, fœtui vim inferens.

2) Non prætermittatur meconii in utroque caſu ſimili effluxus, ſpasmorum preſſam faciem inſequentium procul dubio effectus.

OBSER.

*) cf. LEVRET *Suite p. 229.*

OBSERVATIO XIV.

Funis bis collum ſtringens. Forcipe fœtus mortuus excuſſus.

Femina ruſtica, anno ætatis vigeſimo quarto primum uterum gerens, lente & cum modicis doloribus poſtquam per nyctimeron parturiverat, ſenſim altero die validiorum dolorum vim experta eſt, qui poſt inſequentem mediam noctem integro orificio uteri aperto, parcam liquoris amnii quantitatem effuderunt, quam ſanguinis aliquid inſecutum eſt. Inde lentiſſime promoto capite tertii diei hora nona matutina acceſſi. Feminam inveni integram virium, cum genitalibus perquam tumentibus, pulſu frequentiſſimo & calente corpore; orificii uterini plenum hiatum, caput rectum & in ſuperiorem pelvis-aperturam delapſum cum inſigni tumore. Dolorum vegetus impulſus ſenſim in capacitatem pelvis caput depulit ſine ulla ſanguinis nota. Ita quidem naturalis partus beneficia ſperans lenta moderatione ulteriorem progreſſum expectavi. Dolorum autem vehementiſſima actio licet caput in inferiorem aperturam detruſerit & oſſicula cranii ita compulerit, ut digiti propemodum latitudine margo margini impoſitus ſit, nihil tamen caput promotum eſt, quin potius ceſſante doloris impetu retractum. Cogitavi itaque de funis ſtrictura & inſtrumentorum auxilio. Acceſſerunt & illæ notæ, quæ fœtum vel mortuum vel in ultimo ſaltem vitæ articulo verſantem indicant. Siquidem capitis tumor ſine incremento ſubſtitit; oſſicula cranii mota peculiarem ſtridorem ediderunt; hora 10½. ad occiput fœtus verſus oſſa pubis materna tenuis meconii profluvium notavi, laxumque caput & ſua ſponte in uterum recedens. Parum etiam ſanguinis effundebatur. Quid ulterior cunctatio & inſtrumentorum parſimonia fœtum, procul omni dubio mortuum, juvare poſſit, non animadverti: potuiſſet quidem forcipis preſſio fœtui fatalis eſſe, ſed certiſſime eundem interfeciſſet cunctatio, ſi eum etiam vixiſſe, utut ſine ratione, credidiſſem. Uſu præterea didici incolumes ſæpius

proles

proles forcipe extrahi. Quamobrem ſine mora, artis lege, utrique auris regioni ſine difficultate vel memorabili matris cruciatu applicita forceps celerrimo motu fœtum extraxit. Mole ſua caput non peccaſſe in nato infante animadverti, ſed funem longiſſimum & bis collo ſtrictiſſime circumligatum. Nihil in infante, quod vitæ ſpem faceret, detegere vel ulla arte excitare potui: parcæ ſanguinis guttulæ ex fune reſciſſo effluxere. Tumuit livida facies, contractique manuum digiti apparuerunt. Aliquot a partu minutis elapſis placentam, in vaginam quæ deciderat, extraxi. Recte à partu mater valuit.

Epicriſis.

1) Iſtud ſignorum genus, quod pro morte embryonis cognoſcenda VAN HOORN *) proponit, peculiarem laxi mollisque capitis oſſiculorum ſtridorem, quæ explorante digito moventur, non eſſe contemnendum aliquoties obſervavi. Procul dubio ad mortuarum partium lapſum ille ſtridor referri debet. Vivi enim corporis partes turgent, turget cerebrum, expanditur cranium & oſſicula, ne ſeſe tangant, dimoventur. Collabuntur autem, cum ſanguis reliquaque fluida quieſcunt, atque adeo cerebrum collabitur, oſſa concidunt, vicina tangunt, margines, ſi digito cranii os moveatur, colliduntur, ſtridorem edunt, mollius laxiusque tangitur ipſum caput. Neque etiam capitis tumor ulterius elevari poteſt: quare utique ad mortem fœtus cognoſcendam, in reliquorum ſignorum ſocietate, tumor capitis incrementi expers facit; mortem autem, quæ cum

*) *In Siphra & Pua. P. I. Cap. VI. p. 23.* „*Es wird des Kin-*
„*des Kopf, wann man zu der Frauen wartet, gantz weich*
„*empfunden, die Ecken der Hirnſchale ſind ſo ſcharf, daſs*
„*man ſie bequemlich durch die Haut fühlen kan, und machen bey dem Anrühren ein Geräuſche, als ob ein Hauffen*
„*hölzerne Löffel in einem Sacke eingeſchloſſen wären.*

cum vita inter ipſum demum partum commutata eſt. Vixiſſe enim ſub initium partus fœtum ipſe tumor non ambiguus nuncius eſt.

2) Sæpius omnino obſervavi, ſua ſponte ſine operatoris manu, ab utero placentam ſeceſſiſſe, cum artui cuidam fœtus funis circumpoſitus tenſusque eandem pone fœtum trahere potuit; ſimplicemque extractionem ejusdem, pone orificium uteri latentis, ſuffeciſſe. cf. & obſ. ſup. & XVII. Memorabilem caſum recenſet IAC. DENYS*) placentæ, ob funem bis collo circumpoſitum, ſub partus initium, ex parte ſolutæ graviorisque inde, cum embryonis morte, ortæ hæmorrhagiæ: cum infante dein ipſa placenta, ſine ulla artificiali tractione, excuſſa eſt. cf. & obſ. XV.

3) Funis corpuſculo fœtus circumpoſiti retinaculum cognoſcere ex lento capitis progreſſu, pone ſinum mora & in vaginam regreſſu, cum dolor ceſſat, PEU **) & DE LA MOTTE ***) maxime docuerunt. Recedentem uteri fundum funis ope retrahere fœtum facile intelligitur. Addidi, frequenti obſervatione edoctus ****), alterum ſignum, ſanguinis nempe ex genitalibus junctum ſtillicidium, cujus phænomeni, ſine ſigni tamen pondere, aliquod indicium apud DENYSIUM *****) & MAURICEAU ******) deprehendo. Tenſum funem, qui caput retrahit, & placentæ partem ſoluere, atque adeo quosdam ſanguinis fontes aperire, ultro liquet.

*) *Verhandelingen over het ampt der Vroedmeeſters en Vroed-Vrouwen Cap. XXXVIII. p. 641. ſqq.*

**) *L. c. p. 444.*

***) *Lib. cit. L. II. Cap. IX. p. 176. ſq.*

****) *Elem. art. obſt. §. 545. & Obſ. XV.*

*****) *l. c. Cap. IV. p. 85.*

******) *Obſ. 687.*

liquet. Parcus plurimis in caſibus fluxus eſſe ſolet, quin nullus, cum pertinaciſſime utero placenta nectitur, quo etiam in caſu ipſe nonnunquam funis laceratus purpuream undam profundit *).

OBSERVATIO XV.

Funis collum ſtringens, anguſtiſſimus ſinus, caput magnum & inique ſitum. Forcipe foetus mortuus ſolutus.

Pari, ut in ſuperiori obſervatione, modo prima vice parturiens femina vigeſimum quartum ætatis annum egit, valida corpore. Sub veſperam primis doloribus vexatur, placidis, ſomno ſubinde breviori disjunctis, lumbos ſolos, ſine abdominis cruciatu, afficientibus. Cum tertii diei hor. XI. mat. accedens exploraverim, aperturæ in uteri orificio diametrum 2. pollicum notavi, dolorum vim minus efficacem, pulſum naturalem & plenum. Ex lenta dolorum efficacia lentum partum augurans in femina ſuccis & ſanguine pleniſſima, decem ex brachio ſanguinis uncias trahi curavi; ipſam etiam & adſtantes ut medicamine demulcerem atque partus longam moram fallerem, gratam potionem altera hora hauriendam exhibui, quam opiati modica doſis, dolorum videlicet blandiſſimum pellens, ingreſſa eſt. Somno in dolorum intervallo non ſolum ulterius reficitur, ſed dolorum etiam vis aucta in ipſum abdomen pergit. Dolores frequenter vomitus præcedunt, prægreſſas anxietates ſolventes. Suo eam ingenio permitto, mox lecto adfixam ſueto, mox extemporaneo artificiali, mox erecto corpore dolorum

*) *Hiſtoriam recenſet* LEVRET *Suite des Obſ. p. 187. ſqq. cf. &* PEU *p. 454. ſqq. qui ſimilem caſum enarrat.*

lorum impetum experientem. Hora 4. veſp. ex apertura 3. pollices hiante profundius depellitur amnii veſica. Hor. 8. aliquid ſanguinis in vagina noto. Hor. 10. totum cum delapſa veſica apertum eſt orificium, & dolorum impetus augetur. Funiculum collum ſtringere mox ſuſpicor. Sub mediam noctem cum pone ſinum expanſa objiceretur veſica velamentorum, & vis & frequentia dolorum minui ſenſim cœpit. Poſt primam horam cum anxiam, inquietam, facie ſudantem cum frequentiori pulſu parturientem, ſine ullo veſicæ ulteriori lapſu deprehendiſſem vixque amplius de funis ſtrictura dubitaſſem, artis auxilia differri commode poſſe arbitratus non ſum. Lento autem gradu à mitioribus ad graviora, quo melius & matri parcerem & fœtus vitæ (quam ex percepta ad partum usque commotione & capitis tumore cognovi), quoad ejus fieri licet, blandirer, aſcendere non dubitavi. Atque adeo, poſtquam commodus in artificiali lecto ſitus paratus fuerat, disruptis cum difficultate ſolidioribus velamentis, eo ſcopo amnii liquorem extraxi *), ut contrahi circa ipſum embryonem uterus ſicque, funis tenſione laxata, delabi ulterius embryo poſſit. Id quidem profeci, ut ſubſidente abdominis mole parturientis anxietates minuerentur & dolorum validus impetus inſequeretur, fœtum pone ſinum depellens; promoveri autem ulterius caput diu ſatis præſtolans non animadverti: funem quendam finito dolore retrahere fœtum dixiſſes. Strictior etiam ſinus cum obicem poneret, digitis eundem, ſine notabili ſucceſſu, diducere & dilatare tentavi. Memorabile eſt, neque aliis in caſibus infrequens, unamquamque dilatationem artificialem & perinæi repreſſionem, ſublato videlicet obice, validum dolorem excitaſſe. Ita dolorem pro lubitu ſubmovere integrum erat. Naſcitur ſenſim in defixo capite tumor, cujus nunc iniquum ſitum obſervo, facie ad unum, occipite ad alterum os ilium converſo. Nihil pro capite ſine ferro ſolvendo intentatum reliqui, ad humeros usque, ab oſſibus ſolvendos, inter pelvim & caput pergere non licuit,

*) *Eſt conſilii ſpecies propoſita à* PEU. *p.* 444.

cuit, quare ab oſſibus caput manu mea, velut vecte, profunde demiſſa depreſſurus, & expreſſurus gnaviter laboravi. Nihil, ſanguis licet largior profluat, caput promovetur, neque etiam cum forcipis brachio pro vecte fuerim uſus. De tenſo etiam fune, parteque placentæ ob depreſſum valide caput ſoluta, non ſuperfuit aliquid ad dubitandum. Inter varia iſta molimina ultra horæ ſpatium elapſum eſt, vix aliquid dolorum ſpontaneorum rediit, vel beneficii artificiales dolores ſpondere potuere, quibus & pro parturientis requie tandem peperci. Nihil in univerſum neque dolorum vehementia neque manus labor profecit. Ad graviora certiſſime ſubſidia pergendum fuerat; anguſtiſſimus ſinus dilatandus; arte extrahendum caput, ita poſitum, ut facies ad ilia matris ſiniſtra, occiput ad dextra converteretur; parturiens onere liberanda, ſitiens valde, ſudans, agitata ita, ut frequens plenusque pulſus tangatur; leviori uteri hæmorrhagiæ, ne cum periculo augeatur, proſpiciendum. Facile quidem prævidebam temporis moram, capitis preſſionem variam, collique ſtricturam fœtus vitae inimicas fore, atque adeo ſine internecionis culpa mortuo vel vitæ ſaltem privilegiis carenti embryoni ſcindens inſtrumentum, perforatorium puta, injici; anguſtiam etiam externi ſinus laborem non minus demiſſioni, quam obſtaculum extractioni oppoſituram fore. Fuere tamen graviores multo rationes, quæ ſolum forcipis uſum permiſerunt. Minus non ſolum fœtui, forſan viventi adhuc, inimica forceps eſt, quam perforans inſtrumentum, ſed minus etiam crudele viſu, minus terrens adſtantes; culpa, ſi mortuus naſcitur infans, liberum relinquit operatorem, qui contumelias ſatis vitare nequit, quum perforatorio utitur, antequam exhalans mephitis de morte mulierculas convictas fecerit; ſpatii etiam in ambitu capitis quædam libertas aptam, utut difficilem, forcipis demiſſionem non denegavit. Dilatationem ſinus ex forcipis tractu ſperabam, non minus etiam neceſſariam ubi extenuato capite latius corpuſculum ſolvendum eſt. Rotundum tandem plenumque caput tenacius forcipis brachia recipit extenuato planoque.

Poſtquam itaque quiete aliqua vires parturiens receperat, artis lege forcipem applicui, brachia junxi, prehendi valideque preſſi; propter cognitum iniquum capitis ſitum, lenem quandam capitis refuſionem & in rectum ſitum reductionem, ſine omni ſucceſſu, tentavi: nimis enim uterus & vagina circa fœtum ſtringebantur. Trahendum itaque erat ſimpliciter, & ſenſim deprimendi humeri: ita quidem verſus perinæum tracta forceps ſinum multum dilatavit & occiput in ipſum ſinum detraxit, ulteriori autem lapſui humerorum & funis non vincendum obſtaculum reſtitit; quamlibet etiam validiſſime forcipem compreſſerim, quæ tamen gliſcens, remanente capite, elapſa eſt, novusque ſanguinis fluxus excitatus: certiſſimo documento majus tenſi funis, quam transverſorum humerorum peſſimumque retinaculum eſſe. Repoſita forcipe ſimilis tractio valida ſepties ulterius repetenda fuit, antequam vinculis ſuis liberari caput potuit. Ut parturienti parcerem inter quamlibet tractionem quietis intervallum reliqui. Aliquoties tractione repetita alterum forcipis brachium, a valida preſſione in rectitudinem fere ex curuatura tractum, denuo elapſum eſt. Quo iterum repoſito ſub ultimis operationibus miniſtrum quendam artis eo momento, quo forcipem traxi, digitis genitalia reprimere & ſuper caput ducere curavi non contemnendo artificio. Inter ultimas etiam tractiones matris hactenus calentis ſudantisque ſubito univerſum corpus frigore perfuſum & extrema maxime inferiora tremore concuſſa ſunt. Pone extractum caput (cujus ſitum deſcriptum denuo notavi) funem bis collo & ſemel brachio ſiniſtro ſtrictim circumpoſitum vidi. Ita vero ſtrictus erat funis, ut antequam corpuſculum excuſſum fuerat, eundem circa caput ducendo ſolvere non valuerim. Dum id moliebar, ſua ſponte corpuſculum elapſum eſt quindecimo minuto tertiæ horæ matutinæ. Excuſſo fœtu placentam, utero pertinaciter adhærentem, artis lege deglubens durum uterum & reſiſtentem tetigi. Natus puer mortuus, magnus corpore & capite fuit. Capitis longitudo duplicem ſaltem latitudinem æquavit. Felix mater puerperium tranſegit, ſolas quinque horas primas a partu febrili calore agitata cum frequenti plenoque pulſu, quem inſecutus ſudor emolliit. Sangui-

nis

nis fluxus a partu copioſus & naturalis lochiorum fuit. Molle abdomen magis, ac in puerperis ſolet, non tumuit. Modicus genitalium externorum ſine abdominali commercio dolor emollienti cataplaſmati eodem die morem geſſit.

Epicriſis.

1) In lentiori partu ſanguine parturiens cum optimo ſucceſſu privatur. Ita rigens uterus laxatur, ſanguine minus inflatur, puerperii pericula inflammationum præcaventur, vegetiorque fit ipſa dolorum in molliori utero actio.

2) Medicamina vera, quæ partum pellant, ingenii figmenta eſſe & credulitatis ludibria vix eſt, qui neſciat. Ferri præter mitius quodcunque medicamenti, roborantis etiam genus, ſola opiata, cum moderatione debita, poſſunt, peregrinos noxiosque in partu ſpasmos abdominales uterive compeſcentia, atque adeo uterum roborantia parturientemque reficientia. Saepius ſaltem eorundem non contemnendum uſum eſſe notavi. *)

3) Ventriculo preſſo, preſſis abdominis carnibus & diaphragmatis, angeri parturientem, vomitumque excitari ultro liquet.

4) Solius vectis uſum pro deprimendo capite non ſemper ſufficere & deſcripta obſervatio docet & facile intelligitur; ſi ad funis retra-

*) *Laudant eadem ſuo jure* SARAH STONE *compleate Practice of Midwifery. Lond. 1737. Obſ. 37. p. 132. ſeq.* FIELDING OULD. *Treatiſe of Midwifry. P. I. p. 38.* RICHARD MEAD. *Monit. Medic. Cap. XIV. S. V. p. 142.* GEORGE COUNSELL *Midwife's ſure guide. S. II. p. 61. Cap. II*

retrahentis & transverſorum humerorum obſtacula, vecte utique non ſuperanda, attendimus. cf. & Obſ. praec.

5) Difficillimi ſemper caſus eſſe ſolent, in quibus plurium obſtaculorum junctæ vires fœtum retinent, velut in præſenti ſtringens funis, capitis magna moles, ſitus iniquus & genitalium rigor: quæ certe obſtacula caput ita defixerunt, ut ferramenti trahentisque idem robore fere ſuperiora fuerint, ferramentum certe in rectitudinem ducentia.

6) Nihil ante velamentorum rupturam indicii, quod transverſum capitis ſitum doceret, notavi, ſed ſola brevioris funis ſigna. Profecto enim verſione in pedes juncta obſtacula maluiſſem vincere, quam forcipe, cujus egregia alias officia in funis brevitate expertus ſum: quin toties cum funis ſtrictura lentum quidem, ſed vivi fœtus naturalem, partum obſervavi, ut naturæ iſtiusmodi partum hactenus committere & graviori in caſu forcipe juvare, nullus dubitaverim, ſine converſionis in pedes adminiculo. Tunc demum in præſenti caſu iniquum capitis ſitum animadverti, quum, capite in pelvis capacitatem defixo, de converſione non amplius deliberandum fuit. Vehementer etiam vereor, ut mihi parturiens recenti adhuc re iſtam operationem conceſſiſſet, quæ explorationem ægerrime admiſit. Lubentiſſime dein vel brachia extraxiſſem, vel humeros in naturalem poſitum reduxiſſem, niſi pelvim opplens caput operantem manum arcuiſſet.

De poſitu matris in genua *) etiam cogitavi; facile autem in preſenti caſu auxilii, quod manum in uterum promovere præcipit, defectum notavi. Nihil itaque ſupererat, niſi ut primum e genitalibus caput premeretur, dein de ſolvendis humeris & fune cogitaretur.

*) *Hoc auxilii genus proponit D.* LEURET *Suite des Obſ. p. 22.*

tur. Quæ aliis in caſibus bene ſucceſſit, genitalium repreſſionem & capitis vel manu vel vecte expreſſionem fruſtra tentavi.

Si perforante inſtrumento capitis molem extenuaſſem, ad humeros forſan, ſolvendos ſcilicet, pergere potuiſſem. Primogenitam vero & exoptatiſſimam prolem mutilare non modo parentes vetuerunt, ſed & reliqua, quæ partum circumſtabant (ſupra expoſita), impediverunt. Utendum itaque ſola forcipe erat & caput cum operatoris etiam defatigatione ſolvendum. Ea enim obſtetricantium ſors eſt, ut ſuis ſæpius commodis præjudicia etiam popularia anteponere debeant. Valida tractio preſſos etiam humeros deduxit.

7) Tenaciſſima utique placentæ adhæſio fuit cum ſumma funis tenſione, quam validiſſima etiam forcipis tractio ab utero non ſoluit integram.

OBSERVATIO XVI.

Propendens funis, caput amplum & obliquum. Perforatorio extenuatum & forcipe tractum caput.

Secundum partum, quem anno ætatis vigeſimo ſeptimo femina enixa eſt, præſens obſervatio explicat. Ultimis, quibus uterum geſſit, menſibus poſteriorem abdominis ſedem uteri tumor occupavit, abdomen non ſubſedit, in ſuperiorem pelvis aperturam caput non deſcendit, ſed alto in loco, ſupra oſſa pubis, exploranti digito tantillum mobile oblatum eſt. Cum hora matutina prima femina primos dolores & per omnem diem motum infantis cum perpetuo dolorum augmento ſenſiſſet, hora quaſi ſexta veſpertina cum effuſo amnii liquore embryonis commotio ceſſavit. Capitis omnino in ſegmentum uteri inferius, dolores licet viguerint, impetus leniſſimus fuit. Explorans enim dimidia quaſi a profuſo liquore

hora

hora laxum notavi ſegmentum inferius, os uteri parum apertum, cum dependente labio poſteriori, ſolo deterſo anteriori. Lento inde motu depulſum eſt in orificium ſenſim apertum. Hora nona fere labebatur, cum aliquid in genitalia defluere parturiens ſenſit, funem nempe umbilici, quod explorans cognovi, ſine pulſu quatuor pollicum longitudine dependentem ex aperturæ ſuperioris in pelvi parte ſiniſtra, qua quippe aliquis hiatus capite vacuus manſit. Reliquam amplitudinem aperturæ ſuperioris caput ad dextra dimotum, & oſſibus pubis infixum texit. Iſte quidem poſitus ita removit caput ut tota manus, cum acri parturientis cruciatu, ad omnia rite exploranda, demitti debuerit.

Per aliquot primum horas, antequam ad inſtrumenta pergerem, naturæ vires experiendas eſſe exiſtimavi. Interea temporis ſub mediam noctem ſanguis ex brachio feminæ cruore pleniſſimæ mittitur atque ſecunda hora enema injicitur, inter operandum demum inteſtinum rectum eluens. Altera dein ſecundæ horæ periodo elapſa ad operationem deventum eſt, vix aliquid hactenus caput promovente dolorum vi primum valentiſſima, dein ſenſim remittente. Molle etiam orificii labium poſterius, ſine ulteriori imminutione velut lacinia quædam adhuc dependebat. Ne aliquid mitioris auxilii intentatum relinquatur, os uteri & vaginæ ſuperiorem partem, caput in ſuperiorem aperturam paulo magis delapſum amplectentia, dilatavi digitis: ita quidem dolorum vim, ſed ſine capitis motu, nonnihil auxi. Vires & corporis & animi in pariente vegetæ, facies licet ſudaverit, cunctationi non adverſabantur. Nihil itaque, præter inſtrumentorum operam, ſupereſſe cognovi, quorum uſum eo liberiorem reputavi, quo minus de embryonis morte dubitavi.

Dudum friguit ſine pulſu funis; tenuis tumor, qui ſub initium partus ex capite crevit, ſine augmento latuit; preſſa cranii oſſicula ſtridorem ediderunt. In delapſi itaque occipitis hiatum rhomboidem, fontanellam poſteriorem vocant, artis lege perforans inſtru-

mentum

mentum dejeci; quod quidem ſine labore perfici non potuit, tecto a preſſis oſſiculis hiatu: obliqua etiam inſtrumenti, ſub oſſiculis latentis, directio effecit, ut duram meningem inſtrumentum ſine læſione, cum ſanguinis parco fluxu a cranio ſolveret primum, inſtrumenti demum directione mutata perforandam. Foramen porro inſtrumento dilatavi, dilativi etiam digitis indice & longo manus ſiniſtræ inſtrumentum comitantis; laceravi membranas, partemque cerebri ipſis digitis excuſſi; quod dum feci, neque pulſum in cerebri vaſis, neque notabilem calorem tetigi. Inde capitis deſcenſum non ſine ſucceſſu, utut lento gradu, promovere anniſus ſum: quare intercalari quolibet momento, dolore ad partum non turbato, cerebri ejectionem digitis promovi oſſiculisque prehenſis caput attraxi; imprimere vero oſſicula ſolidiora pro majori hiatu parando, digitorum vi non valui.

Ut plurimum autem turbata opella ſequenti dolorum vi, quieta intervalla excipientium, prementium caput, clauſoque hiatu digitorum officia deludentium: atque adeo ægre digitus in uncinum quaſi flexus prehenſum oſſiculum deduxit.

Hiſce tandem tentaminibus eo perventum eſt, ut caput in vaginam delapſum digitoque ſolo nunc aſſequendum aptiorem forcipi ſedem præbuerit; neceſſario ferramento in ſubſequente ſenſim dolorum pace & capitis pertinaci mora, digitorum operæ illudente.

In ſinum usque forceps, ſine matris cruciatu, caput detraxit; quo in ſitu cum eadem elaberetur & dolorum vis denuo jungeretur, ſolis manibus reliquum capitis, dilatato ſimul ſinu, extraxi. Ita tamen omne obſtaculum nondum ſublatum erat, ſed, antequam corpuſculum trahi potuit, ſiniſtra infantis axilla comprehendenda, ut debet, dextra manu erat, hocque modo magnum craſſumque corpuſculum *), non ſine acerbo matris cruciatu & ejulatu, extrahendum.

*) *cf. ſupra Obſ. IX.*

dum. Sine difficultate placenta mox, in longum farcimen contracta, erepta eſt. Sanguinis & lochiorum fluxus naturalis cum integra matris valetudine operationem excepit. Modici lumborum & genitalium cruciatus in leves ſequenti die poſt partum dolores tranſierunt.

Epicriſis.

1) Liceat mihi ſuperioribus obſervationibus id momenti addere ceſſantem amnii liquore effuſo fœtus motum tempore, quo femina contentius parturit, morti embryonis non deberi, ſed fœtui, nunc in arctius receptaculum ſine artuum libertate compreſſo. Non magis etiam illa quies in mortuis natis, quam vivis infantibus obſervatur.

2) Quum amnii liquor, ſine operantis violentia, antequam diductum fuit orificium uteri, profluxerit, vitioſum obſtaculum futurumque partum laborioſum indicat.

3) Nova dolorum quieſcentium, in femina viribus valida, efficacia, graviori obſtaculo remoto, ſperari omnino poteſt. Fundus enim uteri, cujus utique vires labefactæ ſunt lentiori partu, tenuiori etiam actionis momento, corpuſculi maſſam, ſub iſta conditione, ſuperare poteſt. Ita etiam fit, ut operanti ſæpius integrum ſit, ſola actione manuali, genitalia v. g. dilatante, caput trahente &c. dolorum actionem reſtituere atque pro lubitu repetere. Multa etiam in ipſo partu præternaturali, ſine incommoda & prolixa matris agitatione, maxime ſub finem partus, poſtquam videlicet graviſſima obſtacula mollita fuerunt, naturæ viribus committere poſſumus. Paſſim blandam iſtiusmodi matribus cunctationem ſuperiores obſervationes comprobant.

4) Uteri obliqui ſigna & ſodalitia non prætermittantur: truncus corpuſculi a ſolita abdominis regione dimotus; oppoſito pelvis margini inhærens caput; abdomen non ſubſidens; mobile altumque

que, atque in aperturam pelvis ſuperiorem non delabens caput; præmatura liquoris profuſio; irrita dolorum actio; laxum ſegmentum uteri inferius; ſegmenti pars non deleta, ſed per omnem partum dependens; hiatus in pelvi capite vacuus; liber funis lapſus; liberum inteſtinum rectum & enema continens (in naturali partu, quum pelvim opplet caput, enema non admittit preſſum inteſtinum rectum). cf. obſſ. VIII. X. & XV.

5) Quo tempore forſan fieri debuiſſet verſio, nempe hora $6\frac{1}{2}$, parum apertum erat orificium uteri, propendens labium poſterius, atque adeo impoſſibilis manus in uterum progreſſus. Hora 9. nondum ſatis apertum orificium fœtusque jam mortuus nullaque arte ſervandus. In fœtu autem mortuo imitamentum partus naturalis, quum caput prævium eſt, expertus toties, verſioni præfero, quicquid theoretici verſionis & bonæ cauſſæ mali & parum ſagaces defenſores obloquantur.

OBSERVATIO XVII.

Funis collum ſtringens.
Forcipe foctus mortuus extractus.

Mox prima nocte, cum die præcedente parturire cœpiſſet primipara, quæ trigeſimum ætatis annum ſuperavit, liquore amnii privata eſt. Embryonis hactenus vivi & commoti caput per totum diem alterum obſtetrix ad pudendorum ſinum delapſum tetigit, nato jam occipitis apice; corolla, ut ajunt, delapſum caput exornari potuit. Variis autem rudioribus, neſcio quibus, vexatur parturiens artificiis, cujus hoc die frigore correptæ, embryonem nunc mori mulierculæ pronuntiant. Accedit una, accedit altera, accedunt plures obſtetrices, agreſtibus vexationibus æmulaturæ. Tertio die anxietates parturientis, quibus nunc affligebatur, levaturæ cutem capitis, tumore ſueto auctam, miſere lacerarunt, dilaniarunt, ex

capite ſoluerunt, cranii oſſicula diffregerunt, encephalon aperuerunt, viam effluxuro cerebro pararunt; quibus uſæ fuerint encheireſibus reſcire nequivi. Ejusdem diei hora ſeptima veſpertina cum acceſſiſſem, pudendorum ſinum cum tota vagina in inſignem durumque tumorem elevatum inveni, cranii oſſicula nuda, ſoluta paſſim & vaginam acuminibus lædentia; evacuatum porro encephalon & validiſſime compreſſum; acriter nauſeoſam, qualem putres ſpirare ſolent embryones, exhalantem mephitim; abſolutam dolorum ad partum quietem; parturientis vires fractas, debilem frequentemque, cum æqualibus rythmis, pulſum; linguam cum ſplendore rubentem, tectam muco albo, fuſcoque nonnihil, bene cum dentibus madentem. Evaſuram quidem parturientem ſperavi, ſed gangrænæ uterinæ metum promptiſſimum auxilium poſtulare. Forcipe ſola uti non licuit, quæ videlicet complanato capiti laxius infixa, ſuapte ſine capite excidit: quam ob rem altera vice trahens obſtetricem oſſicula capitis digitis prehenſa figere, ne elebantur, curavi ſixumque caput in ſinus hiatum deduxi. Novum obſtaculum in iſta ſede caput retinens forcipem expulit. Ulteriorem dein capitis ejectionem manu circa idem ad colli usque regionem promota molitus ſum; quod vero quo minus præſtarem, funis collum ſtringens impedivit, ipſe potius attrahendus perſcindendusque. Quo facto magisque capite nonnihil ſoluto ad ſiniſtra matris ilia modice faciem converſam notavi. Atque adeo omnem obicem remoturus ad inferiora æque ac ſiniſtra converſum infantis brachium ſiniſtrum artis lege ſolvi, quo ſoluto, nullo labore & infans & placenta extracta eſt. Febri turbatum puerperium incolumis tandem femina tranſegit; inflaſſe autem ſanguine genitalia, non ſine gangrænæ periculo, duras illas vexationes habitus parturientis docuit. Forcipem manumque in vagina & ſinu agitari ſine cruciatu mater ſenſit, expers etiam cruciatuum vel dolorum a partu, cum miſeris de fracturæ per omnes artus ſenſu querelis *). Abdomen a partu non emollitum parum-

*) *Sæpe etiam de acribus oſſis ſacri & iliorum doloribus conqueri ſolent. cf.* PEU. *p. 244.*

parumper ſubſedit; parciſſimus ſolutam placentam ſanguinis fluxus excepit; in pulſu reliquoque habitu nihil a partu mutatum eſt.

Epicriſis.

Ex deſcriptæ & inſequentium obſervationum comparatione manifeſtum eſſe poteſt, quam vicinus periculoſæ gangrænæ genitalium habitus fuerit. Certiſſime ſane feminæ pereundum fuiſſet promptiſſimo auxilio deſtitutæ. Fractura illa virium univerſalis, dolorum quies, durus genitalium tumor, exhalans mephitis, operationis patientia facilis, elevatum a partu abdomen, ſenſus per omnes artus fracturæ, parca a partu hæmorrhagia &c. periculo proximam feminam edocent. Peiora tamen pluraque pro re conclamata requiruntur.

OBSERVATIO XVIII.

Gemellorum prioris partus naturalis. Poſterioris caput cuneatum. Uncino læſa & mortua mater, atque embryonis caput perforatorio extenuatum.

Femina, octo infantum mater, hora ſexta matutina puerum vivum edidit, poſtquam ſub præcedentem noctem mediam primis ad partum doloribus tentata fuerat. Nihil autem vel fluxus ſanguinei, vel placentæ inſecutum eſt, ſed elevatum durumque abdomen ſubſtitit, novaque ex genitalibus veſica prodiit. Senſit etiam reſidui embryonis motum mater ad meridiem usque, quo videlicet tempore rupta veſica imminui ſenſim tandemque penitus ceſſare embryonis agitatio cœpit. Caput in vaginam delapſum ſine ulteriori ſolutione moratum eſt, dolorum licet cruciatus, ſenſim peracerbus, per omnem diem & inſequentem noctem protractus fuerit. Interea etiam temporis frigore atque horrore matris corpus tentatum eſt; agitatum inſuper obſtetricis contrectationibus & ſpiritu frumenti in-

geſto accenſum. Poſtridie hora octava matutina accedens chirurgus caput pelvi infixum variis artificiis, neſcio quibus, potiſſimum uncini auxilio, expellere nititur; nihil vero præter bina bregmatis oſſa ſolvit, integra manente dura matre. Hora demum decima atque dimidia ipſe, femina in lectulum extemporaneum compoſita, partus ſtatum cognovi, caput nempe pone ſinum locatum; tumentia genitalia; matris ab uteri gangræna periculum, ex tenui debilique pulſu, viribus fractis, dolorum tacita quiete, mephiti e genitalibus ſpirante, genitalium ipſorum inſenſibilitate: conſtantis enim & immoti animi, ſine ulla cruciatus querela. per omnem operationem fuit, ante octavam licet horæ partem hæc abſoluta non fuerit. Suæ tamen ſorti relinquendam eſſe ſine auxilio non exiſtimavi; quare artis lege applicito & profunde adacto inſtrumento perforante, plurima cerebri maſſa effluxit. Dein manu dextra compreſſo capite & prehenſo, atque indice digito ejusdem manus infantis ori immiſſo, lento & difficili motu, caput expediebatur. Dum vero extraxi putria cuncta molliaque notavi: quam ob rem miratus non ſum collum, cum caput traheretur, extendi & cum aliquo ſtrepitu ita lacerari, ut ſolum caput ſequeretur: potius ſine mora dextrum brachium manu mea ſiniſtra, ad artis leges, ſolvi parique modo ſiniſtrum embryonis brachium dextra manu. Soluta brachia linteo ſicco prehendendo agitandoque corpuſculum excuſſi, cujus abdomen tumidum extractionem moratum eſt. Gangrænæ metus finita operatione auctus eſt, intolerabili fœtore, quem genitalia pone extractam puellam, emiſerunt, corpuſculi livore, fœtore putri, matris quiete, debilitate, integram facile, ni cautus ſis, valetudinem mentiente, placentæ habitu putri & putri ichore pro ſanguine e genitalibus ſtillante. Poſtquam aliquantisper reſpiraveram, ad placentas ſolvendas manum in pelvim demiſi, quam anguſtam deprehendi, angulumque oſſis ſacri qui prominet vix pugni amplitudine ab oſſibus pubis diſtantem. Liberam placentam prioris pueri, neque cum utero neque cum altera placenta cohærentem, omni fune privam, nullo labore extraxi. Inde funis lividi putrisque ductu alteram placentam aſſecutus ſum, quam ipſam

ſine

ſine difficultate ab utero ſolutam excerpſi. Utraque placenta minoris molis erat: prior verſus partem uteri poſteriorem locabatur; poſterior verſus regionem uteri dextram & fundum, præcedenti ſedem elatiorem. Hora decima veſpertina femina mortua eſt. Olim aliquoties fœtus mortuos enixa eſt, nunquam vero gemellos.

Epicriſis.

1) Pelvis procul dubio anguſtia vitæ embryonum frequenter inimica fuit (cf. obſ. VIII.).

2) Cautus ſit in proſpero eventu præſagiendo, cujus judicium praxi confirmatum non eſt, ſignaque gangrænam uteri manifeſtantia apprime ediſcat. Compoſitus paaturientis ſtatus, facilis fœtus ſolutio & conſtantia mentis in puerpera tirones fallere ſolent, ut proſperum eventum ſpondeant, anguis licet in herba lateat.

OBSERVATIO XIX.

Facies prævia.

Uncino læſa & mortua mater.

Femina, longa vita digniſſima, nonum ſupra decimum annum nondum ſuperaverat, cum prima vice ad partum ſeſe componi ex dolorum, forſan præſagientium, ſenſu exiſtimavit. Obſtetrix imperita, ſine cognitione ſitus, ad nixus, procul dubio præmaturos, edendos miſeram excitabat ſine partus ſucceſſu per aliquot dies defatigatam. Doloribus ſenſim denuo quieſcentibus, parturienti medicamina exhibentur, aquæ cinamomi profuſa abundantia, pulvis halenſis aureus, oleum amygdalarum dulcium rancidum aliaque. Tandem quarto die a primo dolorum initio chirurgus explorans præviam faciem notat, fundum uteri hypochondria dextra replentem, ſtrictum manumque non admittens os uteri. Varia dein una cum obſtetrice moliri, cataplasmate vinoque genitalia fovere, manu ipſe & obſtetrix caput trahere, uncinum applicare, aliaque neſcio

ſcio quæ agere. Poſtridie ſub meridiem acceſſi moxque fœtus caput cum brachio dextro e pudendis pendere, fœtum putrem notavi, fœtentem acriter, nigrum, inflatum, epidermidem dimittentem, deformem capite humani diſſimili, longo & compreſſo, oſſicula cranii fracta, deſtructa, cuncta indigeſta ſine figura & ordine; debiliſſimam porro matrem, cuncta patientiſſime tolerantem ſine oppoſitione, cum exiliſſimo & pulſu & reſpiratione.

Mox manum operi admovi. Simpliciter fœtum attrahere, quod dudum chirurgus facere experiebatur, nequivi, ſiquidem relictum brachium ſiniſtrum pubis oſſibus inhærens, binis digitis prehenſum tractumque, ſolvendum antea fuerat; quo facto agitatum corpuſculum, cum levi ad tumidum abdomen obſtaculo, facile extrahebatur, pariter, ut apparuit, putre fœtensque cum tumido abdomine ſcrotoque & ſecedente epidermide. Nihil plane doloris documentum, dum excutiebatur infans, mater vel edidit, vel corpus commovit. Duce fune putri poſtquam in uterum penetraveram, placentam elatiori uteri ſedi adhærentem parvamque, ab utero deglubi: quæ quidem operatio & querimonias matris modicas ob doloris ſenſum excitavit, & firmam integramque placentam protraxit, certiſſimo documento illæſo uteri fundo ſolum ſegmentum inferius rudioribus contrectationibus & uncini malignitate paſſum eſſe injurias. In compoſita dein matre adverſas aves notavi. Extremorum, faciei manuumque pedumque, frigus cum profuſo, totius etiam reliqui corporis, ſudore; abdominis tumorem, mollem quidem, ſed ſenſim in inſignem altitudinem elevatum; brevis reſpirationis anguſtias ſenſim peiores; frequentem tenuemque pulſum, primum æqualem, inde frequentiſſimum, tandem intermittentem; incommodum dorſi ſenſum, fracturam quaſi, decubitui inimicam; univerſi corporis debilitatem, denegato etiam omni pedum officio; cruciatuum quietem, indolens abdomen, indolentia genitalia, indolens caput; animi primum cum loquacitate aliquam agitationem, tranquillitatem dein cum perpetua conſcientia & conſtantia; eſculentorum, ſine ſiti ulla, perpetuum deſiderium; copioſos, aquam cinamo-

cinamomi ſpirantes, ructus, ſine vomitu; potulentorum deglutitionem ſonoram; oculos torvos, prominentes quaſi, apertiſſimamque pupillam; ſanguinis per aliquot horas (ex integro, ut videtur, uteri fundo) e genitalibus fluxum, mutati dein in fuſcum, fœtentem tenuemque ichorem; conſpurcatum tenui excremento bis lectum, contra voluntatis imperium, ipſa licet puerpera bene nata non ſine pudore id animadverterit. In hoc quidem ſtatu octo primas a partu horas puerpera transegit, grata emulſione refecta.

Inde vero ſymptomatum exacerbatio vicinam mortem, animus licet conſtiterit, denunciavit, frequentior videlicet tenuiorque cum intermiſſione pulſus, brevior reſpiratio, oculi torvi, ichor uterinus, elatius abdomen, aliaque. Dimidia tandem ante mortem hora reſpiratio breviſſima & ſonora, ceſſatio pulſus in manu, aliena mens, deglutionis organa reſoluta, tranquillum decima a partu hora fatum attulere *). Sphacelo fœda abdominis viſcera intolerabilis, qui extemplo mortem inſecutus eſt, fœtor demonſtravit ſimilis illi penitus, quem embryo ſpiravit.

Epicriſis.

1) Fœtus procul omni dubio ita in latus converſus erat, ut facies alterutrum os iſchii reſpexerit & humerorum unus oſſibus pubis inhæſerit, alter colliculo oſſis ſacri prominenti: quo quidem in caſu ſcita operatio, ſine omni uncini violentia, impedimenta ſolvit.

2) Qui obſtetricando etiam medicinam faciunt triſtem palinodiam de plerarumque obſtetricum imperitia canere coguntur: quorſum etiam, quis enim cuncta ſpecimina dixerit? plebeiam iſtam expedi-

*) *Sæpe etiam ſudor frigidus, animi deliquium & ſingultus præcedunt.* PEU *p. 244.: quandoque motus ſpaſtici. Memoires de l'academie de Chirurgie T. V. p. 327.*

peditionis & officii gloriolam præ reliquis referas: inde ad niſus edendos, dolores licet partum non faciant, ſed præſagiant, incitamenta, operoſæ & moleſtæ ad os uteri & ſinum, præter omnem neceſſitatem & uſum, manus, violentæ ſecundarum, cum ſanguinis animæque profuſione, ereptiones, aliaquæ. Vae! quot matres immolantur!

3) Sed & acutior in miſeras enſis ſtringitur: accedit Archagato crudelior, dejicit frigidum uncum, dejicit imperita manu, dejicit intempeſtive, necat prolem, lacerat matrem prolique ſociam adjungit. Quando in parturientes ſævire *chirurgi*, obſtetricandi artis imperiti, toties admoniti, deſinent? Uncino nefando, non ſemel, non bis, non deſcriptis ſolis in caſibus, ſed toties miſeras laniatas fuiſſe compertum habeo; ſerotinus ſæpius teſtis.

4) Non ſat eſt parturientem pugno ferroque proſequi; additur etiam ignis ſupplicium ardenti ſpiritu & oleo rancido, ne aliquid malorum reperiatur, quo miſeræ non excrucientur. Iſtæ afflictiones non pauperum modo tabernas, ſed & divitum turres pulſant, deſcriptæ obſervationis etiam documento.

5) Anxiæ reſpirationis ultima molimina & agonizantium peripneumoniam a pulmonum ſuperabili expletione, velut in omni morbo, ita vel maxime in pariente infeliciter, diſtinguere diſcat inexpertus ex malorum ſodalitio; ut venæſectione abſtineat propinguam mortem trahente. Remedium enim medicumque culpari, vitam cum ſanguine profundentem, alienis propriisque periculis, bona mente tentatis, didici.

OBSER-

OBSERVATIO XX.

Femina ex gangræna uteri a partu Gemellorum violento mortua, capita licet exciderint.

Valetudinaria quædam femina, ſuræ dextræ ulcere inveterato laborans, ætatis anno trigeſimo ſexto primum cum parturiret, multum inſulſis obſtetricis ad protrahendum infantem moliminibus affligitur. Amnii liquor interea temporis cum effluxerit, duodecimi, a primo obſtetricis motu, diei matutina quadam hora quæ peritior putabatur alia obſtetrix vocata puerum, dein veſperi puellam variis, neſcio quibus, artificiis protraxit. Ipſe ejusdem diei hora decima veſpertina accedens miſeram & prolium & matris conditionem invenio, pútres puta infantes, potiſſimum poſteriorem, inflata crania, craniorumque oſſicula in minora fragmenta omni in ſede comminuta; matrem autem illa hebetudine & tranquillitate preſſam, quæ internam gangrænam prodere ſolet, ſine ullo dolore, ſine ulla ſollicitudine, vel externorum objectorum cura, mente licet ad mortem usque non caperetur; pulſum porro tenuem, frequentem & ſubinde intermittentem; torvos oculos & depreſſos, amplam pupillam ad lumen immobilem; pallida labia, dentes aridos, linguam faucesque aridas, humoribus linctibusque demulcendas; molle tumensque maxime abdomen, aëre dives, imprimentem manum repellens elateris vi; genitalia tumentia, fœtidiſſimum liquorem eructantia, arctiſſima; breviſſimam reſpirationem, frigidum frontis ſudorem, aliaque. Rogatus, ut relictam placentam extraherem, feminam diſponi in debitum ſitum curavi: dum vero adſtantes id moliuntur, immobilem feminam notavi, catalepticam quaſi, ut ſitum ſervarent artus, in quem ab adſtante ponerentur, ſine ullo proprio puerperæ auxilio. Proximam adeo mortem animadvertens prædicensque marito operatione abſtinui, ne interfeciſſe me dicerent, cui ſervandæ impar fueram. Sub mediam mox noctem mortua eſt vigeſima quinta a violento partu hora.

 Epicriſis.

Epicriſis.

1) Gangrænæ a violento partu in utero ſigna collata trium ſuperiorum obſervationum hiſtoriæ recenſent. *)

2) Quum ad incitas jam redacta eſt mater, quum mortis ejusdem inter operandum metus eſt, caveas manum admovere **). Aliis omnibus in caſibus, quibus etiam ſervari matrem non poſſe ex gangrænæ ſignis prævides, ſine auxilio mater relinquenda non eſt. Levatur ſaltem onere parturiens, placidior moritur, ſolamine temporario ad imminens fatum carorum affinium animus confirmatur, ancipiti ſenſimque peiori prognoſi ad ruinam ferendam præparatur, officioſam & commiſerantem mentem operator teſtatur, quid? quod caput rei eſt, præter omnem ſpem & opinionem, velut quandoque in re medica miracula quaſi fiunt ***), nonnunquam operatione conſervatur, de cujus incolumitate fere deſperabas. Huc aliquo modo Obſ. XVII. ſpectat, ſimilisque ex de la Motte ****) comprobat. Præſtat autem utique ſexcentas operationes, ut unica mater ſervetur, facere, quam ſoli ſuæ famæ conſulendo dubias operas rejicere. Ancipiti tamen triſtique prognoſi utique famam ſuam munire in ancipiti caſu operatori licet.

*) *cf.* & MAURICEAU *Malad. des femmes groſſes T. I. L. II. Cap. XI. p. 271.*

**) *Bonum conſilium eſt* MAURICELLI *l. c.* PEU. *L. II. C. I. qui & ſimilem caſum recenſet. C. III. p. 339. ſq.*

***) *Hoc* CELSUS *jam agnovit L. VI. Cap. VI.*

****) *L. cit. L. III. Cap. XXX. Obſ. 264. p. 377. ſeq.*

DISSER-

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
NON DAMNANDO USU PERFORATORII IN PARAGOMPHOSI OB CAPITIS MOLEM

QUAM
PRAESIDE
I. G. R.
DIE XIV. SEPTEMBR, MDCCLVIII.
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
HENRICH DANIEL WINIKER
GOETTINGENSIS.

Qui conſuetudinis, velut in moribus ornatuque, ita in ſcientiis artibusque vim in animos hominum magnam eſſe contendunt, faciles in partes ſuas trahunt, quotquot ſcientiarum artiumque incrementa & mutationes proſequi non piget. Ferri utcunque, quoad inanes & ſubtiles quæſtiones agitantur, iſta pigriorum Muſarum imitamenta poſſunt; noxia non infrequenter futura, quoties ipſas actiones dirigunt. Artis ſalutaris ſingularis illa Chirurgia, quæ in laborioſo partu feminis medetur, non minus ex conſuetudine æſtimari ſolet, quam reliqua ægrotantium auxilia. Erat olim mos laniatos fœtus uncinis excutiendi, ſequebatur alius, qui in pedes eosdem convertit, ceſſit hic forcipi, pulcerrimo inſtrumentorum generi. Scopum utique ſuperaret de iſtis operationum generibus diſputatio, unico momento inhærere animus nobis eſt, ſuccincte nempe diſpicere, utrum forcipis uſus in caſu capitis magni & cuneati adeo ſit univerſalis, ut perforante inſtrumento ſemper carere poſſimus? Sola autem argumentorum & obſervationum præcipue pondera, miſſis omnibus & autoritatibus & autorum citationibus, diſputationem trahant, ne vel in celebrium virorum ſententias impingere litesque, perraro, quibus inter eruditos par eſt, armis motas, excitare, vel ad aliquod hominum genus, ſervum, ut ajunt, pecus, reſpicere videamur.

DISSER-

DISERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

DE

NON DAMNANDO PERFORATORII USU IN PARAGOMPHOSI OB CAPITIS MOLEM.

I.

Inter plura, quæ lapſum ad os uteri caput retinent, obſtacula, propria ſive capitis moles, ſive anguſtia genitalium, ad noſtram diſputationem pertinent, vel ſola vitia, vel ſaltem in pejori caſu ipſis ſibi & aliis juncta. Varios quidem iſtorum obſtaculorum gradus eſſe conſtans obſervatio nos docet, quos tamen ad tres commode referimus. Temporis intervallum, in partu tranſactum; citior lentiorque capitis deſcenſus & compreſſio, mora ad aperturam pelvis vel ſuperiorem vel inferiorem, juncta alia partus vitia, genitalium habitus vel ſanus, vel inflammatione rigidus, dolorum vigor &c. graduum diſcrimina faciunt.

II.

In primo quidem gradu cuncta modica eſſe putamus, ultra alterum nyctimeron partus non protrahitur, globoſa lataque capitis forma ſenſim in coniformem longamque comprimitur per pelvim meabilem, lento quidem lapſu, ſed continuato cum occipite, reliquum etiam caput ex ſuperiore pelvis apertura in vaginam & ex hac in inferiorem ſinumque externum deſcendit, modicus in capite tumor effertur, ſitus uteri & capitis vel nihil vel parum ex pelvis axi devius eſt, nil funis corpuſculo circumponitur, nil reliqui vitii in

corpu-

corpuſculo eſt, integræ parientis vires manent, integer pulſus, integra genitalia, non multum inflammata, gangrænæ metus abeſt, lenta dolorum actio caput quolibet motu parum promovet. Primipararum etiam frequentes partus, quibus ægrius tardiusque genitalia diducuntur iisdemque longum ex globoſo ſenſim caput aptatur, pelvis licet & caput integra ſint, huc trahere nulli dubitamus, & externum hydrocephalum.

III.

Duplicem profecto ſub hiſce conditionibus viam ingredi nobis licet, naturæ alteram, alteram artis. Poſſumus cunctando totumque negotium naturæ committendo fauſtiſſimum eventum, ut frequenter obſervavimus, ſperare. Lenta vis dolorum commode genitalia aperit & compingit caput, ſine ullo vel matris vel fœtus periculo. Levis, quæ illius genitalia inflat, inflammatio a partu ſua ſponte diſſipatur, vel a cataplasmatum moderato fotu, modicus etiam tumor, qui caput infantis elevat, pari ſucceſſu & promptitudine ſubſidet. Quid itaque ſub hocce gradu ad operationem vel forcipem nos compellat, non perſpicimus, quin ſæpius ad parientes ex mora partus inquietas & impatientes vocati proximum una alterave vel aliquot horis (quin minori intervallo) partum commode ſine ferramentis ſibi reliquimus.

IV.

Sunt tamen caſus, quibus forcipe expedire partum convenit. In more ſaltem multis noſtri ævi non incelebribus operatoribus, illis præcipue in regionibus urbibusque degentibus, quibus frequenter ad partum lentum, quin quemcunque operatorum auxilia deſiderantur, in more inquam poſitum eſt, mox matrem onere ſuo liberandi propriæque famæ & fructui conſulendi, præcipiti forcipis uſu, eo faciliori & operatoris gloriæ aptiori, quo mitior cuneationis gradus eſt. Expedit utique forceps operationem, comprimit caput, volumen integrum in longam formam ducit, genitalia diducit

& tracta ab operatore ad artis leges lentam dolorum actionem ſupplet. Ita procul dubio liquet, quomodo ſexcentæ operationes intra aliquot annos ab eodem operatore feliciter forcipe abſolutæ, ſine falſa etiam oſtentatione, ferri atque prædicari poſſint. Neque tamen ſine iſtiusmodi operatione male conſuli (niſi neceſſitas poſtulet) parturienti crederemus, neque ubivis terrarum adeo prodigis ferramentorum eſſe licere operatoribus, neque omni penitus opprobrio carere forcipem: minus genitalia dolent a lenta dolorum vi & ſenſim preſſo capite dilatata, quam a forcipe & a tracto capite. Magis etiam a forcipis compreſſione, quam dolorum, periclitatur fœtus caput.

V.

Ancipites magis ſunt ſecundus tertiusque gradus. In illo quidem ſola partum abſolvere, ſed funeſtum, natura poteſt. Excedit multum capitis moles capacitatem pelvis, lentiſſimus ad inferiorem aperturam capitis lapſus eſt, aliquot dies partu tranſiguntur, vehementiorum dolorum ad caput acuminandum pertinacia requiritur, inſignis ex capite fœtus vivi tumor, ſuccedaneum quaſi alterum caput, naſcitur, multum genitalia ex contuſione inflammantur, orificium videlicet uteri, vagina, urethra, ipſeque ſinus externus, quin ipſa gangræna oritur, urgent vehementes frequentesque dolores, cum impetu quodam compreſſum quidem ſed magnum caput propellitur, quin quandoque urethra atque perinæum cum diro cruciatu ita dilacerantur, ut urinæ & ſcybalorum incontinentia reſidua maneat, vel ſaltem ex graviori inflammatione, uterum ſimul ex conſenſu corripiente, periculi plenum puerperium fit & robur urethræ lentiſſime reſtituitur. Iſta quidem contingunt, quoties vel inſignis eſt capitis moles, vel aliquid alius obſtaculi notabilioris ſimul additur *).

*) DE LA MOTTE *Tr. compl. des accouchem. L. III. cap. XXXIX. Obſ. 286. p. 415.*

VI.

VI.

Male utique res noſtras gereremus, ſi ſub hoc gradu, lentiſſimo partus progreſſu, ad peſſimam usque partium inflammationem otioſi maneremus. Quamdiu etiam in hac ſpecie ulterioris in capite compreſſionis ſpes affulget, & inflammatione genitalia non tument, blanda forcipis actione commode compreſſum acuminatumque caput trahitur. Aliquid autem utilis compreſſionis a forcipe exſpectari poſſe, cognoſcimus ex minori capitis tumore, capite globoſo, cum modico occipitis acumine; certo indicio, dolorum preſſionem, utut diu protractam, ſatis ad comprimendum in conum caput efficacem hactenus non fuiſſe. Quod ſi vero longum jam caput eſt, longe dependet occiput, cranii oſſicula lato margine ſeſe tegunt, inſignis ex capite tumor prominet, ulteriorem ſive naturæ, ſive artis compreſſionem male ſperamus. Quis enim putaret ſine termino eſſe figuræ in capite mutationem, partium mobilitatem, membranularum, quæ capitis oſſa jungunt, extenſionem? Quin compreſſum caput adeo ulteriori compreſſioni reſiſtit, ut, ſi pertinaces iſtiusmodi caput forcipe prehendimus trahimusque, forceps potius vel in rectitudinem ducatur, vel frangatur, quam in minorem molem caput cogatur. Quid quod, ſi ulterius caput comprimimus, vehementiſſima iſta preſſio non minus fœtum necat, quam cerebri deſtructio, velut etiam ab ipſo diuturno partu, quo intra pelvim caput compingitur, evenire ſolet.

VII.

De forcipe quidem cogitare poſſumus, quamdiu in caſu ulterius comprimendi capitis integra ſunt genitalia, neque inflammatione rigida & immobilia, neque ſtrictiſſime caput amplectentia. Quis autem forcipem demitteret, quum velut adſtricta pertinaciter chirotheca vel os uteri, vel vagina caput complectitur & clavo ſimile caput pelvis capacitati ita infixum eſt, ut tenuem ſtilum idem inter & genitalia, quacunque etiam in ſede id fiat, adigere nobis non liceat? Id quidem ſine genitalium & capitis læſione fieri nunquam poteſt.

poteſt. Pejor multum eſt violentia demiſſorum brachiorum, quoties in capitis ambitu rigida inflammatione genitalia & in gangrænam prona, tument. Poſſumus quidem iſtis in caſibus impellere forcipis brachia, poſſumus prehenſum caput trahere, ſed vulneramus caput, cujus tamen conſervationi forcipis uſu ſtudemus, laceramus genitalia, lethalemque gangrænam *) excitamus, vel leviſſimo in caſu mala §. 5. recenſita.

*) *Cf.* PEV. *Pratiq. d. Accouchem. L. II. Cap. VI. p. 384. traxit caput ſine imminutione, ſed gangræna genitalium nata eſt. Similis fere caſus* DENYSII *Verhandel. over het Amt der Vroedmeeſters. p. 419. Docent iſti caſus genitalia gangrænam pati, quum magnum caput, ſine molis imminutione, extrahitur.*

VIII.

An vivat mortuusque ſit fœtus? præcipue disquirere convenit. Quoties nempe de fœtus morte certus eſt operator, maxime cum ulterior capitis compreſſio ſperari nequit, vera adeſt paragomphoſis & gravis inflammatio periculi pro matre plenam facit forcipis demiſſionem, perforatorio ſine mora caput extenuandum eſſe putamus, matremque tutiſſima blandiſſimaque ipſi operatione onere ſuo liberandam. Optimum ſane in noſtris regionibus conſilium, quibus ſero operatoris auxilia deſiderantur, neque niſi pluribus diebus elapſis, cum genitalium inflammatus tumor cuneatum caput ita ſtringit, ut male de forcipe cogitaremus, qua etiam periodo vix unquam ſuperſtes eſt fœtus vita, paſſa multum ex preſſione perpetua & obſtetricum contrectationibus.

IX.

Quum vivere fœtum non hæſitantes ſperamus, anceps conſilium eſt & ex iis, quæ circumſtant, capiendum. Reliquis operationibus abdominis apertionem, quam cæſareum partum vocant, utique

que præferendam eſſe cenſemus, quoties ea uti nobis licet, ſiquidem cum fœtu matrem ſervare poteſt. Sed ſine gravi periculo non eſt operatio, integerrimas matris vires bonumque habitum requirit atque ſine parientis feminarumque adſtantium aſſenſu fieri nequit. Quam ob rem exul eſt, quibus in regionibus prius operator non vocatur, quam ex diuturno partu parientis vires ſunt fractæ, uterique inflammatio, ſaltim naſcens, ancipitem ſectionem facit, quin, integerrimis etiam omnibus, certiſſimæ, cujus periculum indicatur, morti à parturiente aeque ac ab adſtantibus poſtponitur.

X.

Quoties itaque operationis cæſareæ copia non eſt obſtetricanti, vel ſine omni auxilio ſuæ ſorti committere debet parturientem; quod ſane conſilium, matri non minus quam fœtui certiſſime fatale mentis compos nemo dabit; vel perforatorii uſu fœtum, ſi forſan rariori in caſu vivit, matris vitæ immolare: præſtat autem arbitramur, illum ſolum, quam una cum matre perire *). Conſilii apparens atrocitas mitescit ex neceſſitate. Forcipem non minus fœtui (§. 6.) quam matri periculoſam ſub deſcriptis circumſtantiis perforatorio pernitioſiorem eſſe quis non videt?

*) *Litem non movemus, an foetus matri, vel hæc illi immolari debeat in caſu, quo uterque ſervari nequit? Accedimus illis, qui parcendum præ foetu matri eſſe putant, plerisque ſaltem in caſibus.*

XI.

In tertio cuneationis gradu aperturis pelvis capitis moles inferior fieri, ſive dolores caput compingant, ſive ars, eousque nequit, ut vehementiſſimi etiam vel dolores idem propellant, vel forcipis pertinacia protrahat. Si proportiones ad ſuperiorem pelvis aperturam peccant, ſupra eandem caput ſemper ſubſiſtit, ultra ejus ambitum expanſum, & occipitis ſaltem acumen cum inſigni capitis tu-

more in pelvis capacitatem deſcendit. Omnia eadem ad inferiorem aperturam notantur, quum hæc arctior fuerit & amplior altera, ſive ſuperior. Peſſimum hunc gradum pelves præcipue compreſſæ & deformes, aliaque obſtacula juncta facere ſolent.

XII.

Quoties ad abſolvendum tranſitum comprimi caput poteſt, ſecundo gradui partus accenſetur, quare in tertio gradu de omni forcipis ſucceſſu deſperamus. Vtrum vero incidi debeat abdomen, an perforari caput? conditiones ſupra expoſitæ determinant. Pelvis anguſtia, quæ ne manum quidem operatoris admittit, minus multo fœtum, caput licet extenuatum ſit, cæſaream operationem indicat. Naturæ in hoc partu auxilium nullum eſt, ſed non intermittens potius preſſio vires parturientis frangit & genitalia gangræna fœdat.

Strictim quidem argumentum eo ſcopo pertractavimus, ut non nullis obſervationibus, eo pertinentibus, locus relinquatur.

OBSERVATIO I.

FORCIPE CAPVT EX SUPERIORE PELVIS APERTURA SOLUTUM.

Primipara, annos quaſi viginti & quatuor nata, futurum partum ex præſagientibus doloribus nocturnis ſperat, qui neque obambulationem, neque negotia domeſtica poſtridie impediunt. Quarta hora veſpertina veri ſequuntur dolores, lente procedit partus per nycthimeron integrum, quo finito, altero nempe die, hora tertia à meridie, accedens operator caput ſuperiori pelvis aperturæ impoſitum & parum ad ilia dextra prævio occipite obliquum deprehendit, modicum capitis & acumen & tumorem, diſrupta velamenta, amnii liquore uterum vacuum, aliquid ſuperſtitis circa caput, in ſedibus pelvis lateralibus & anteriore, ex ſegmento uteri inferiori, marginis, pulſum bonum, vires parientis integras, modicos dolores, partum parum promoventes. Sub hiſce quidem circumſtantiis, donec delapſum in capacitatem pelvis caput ſit, naturæ partum relinquere opera-

operator potuiſſet, niſi inquieta mater quovis modo onere liberari deſideraſſet. Difficiliorem etiam operationem innuerunt externa genitalia perquam arcta, rigida & tumentia. Artis tamen lege forceps, brachiis nempe a latere demiſſis, & apicibus, quoad ejus licuit, verſus oſſa pubis elevatis, applicita eſt, quæ difficilius in dextro, quo caput appreſſum, quam in ſiniſtro latere penetravit. Ter tractio ad ſolvendum caput repetita eſt. Prima caput in aperturam pelvis ſuperiorem ita dejecit, ut dimidium quaſi in ejusdem capacitatem, delapſum ſit; ſecunda in ipſam pelvis capacitatem ad ſinum usque externum, idem promovit; tertia ſinu externo exſoluit. Ante ſecundam tractionem repoſita in commodum ſitum forceps eſt, inter ſecundam & tertiam immutata manſit. Tractionibus parum quietis pro pariente & operatore interpoſitum eſt. Difficiliores prima & ſecunda operationes fuerunt, quam tertia; ſiquidem altum caput ægrius prehenditur, ſueta forcipe totum non firmatur atque genitalium anguſtia & parientis agitationes difficiliorem forcipis applicationem faciunt. Reſtiterant quidem tertiæ ſolutioni genitalium rigor & anguſtia, maxime parietis vaginæ poſterioris & perinæi; facile tamen caput ſolutum eſt, dum forceps dextra manu operatoris firmiſſime comprehenſa & compreſſa agitabatur & ſiniſtra perinæum reprimebatur. Utque eo aptius perinaeum cedat, depreſſa, donec occiput ſolutum ſit, forcipis junctura & apices ad oſſa pubis elevati ſunt; inde ad eadem oſſa iſta junctura cum occipite, velut ad hypomochlion mota, apices viciſſim ad inferiora rotati, in arcum flexum caput, atque exſoluta in ordine & ſerie ſunt occiput, vertex & facies. Nata puella mox vagitum edidit, & præter leviores utrinque contuſiones ab operatione nihil paſſa eſt. Magnum, longum & utrinque multum compreſſum puellæ caput cum modico tumore verſus os bregmatis dextrum, qua nempe ſede pelvi appreſſum erat, comparuit. Non ſine cruciatu matris, ob genitalium ſummam anguſtiam, quæ tamen forcipis brachia admiſit, operatio perfecta eſt. Mox a prima forcipis applicatione ſanguinis copiam, ex ſoluta procul dubio placentæ parte, genitalia profuderunt. Integrum & illæ-

ſum

ſum uterum feliciſſimum puerperium, omnis morboſi ſymptomatis & doloris purum, docuit cum exoptato, feminæ multum plethoricæ, lochiorum fluxu. Parum à partu, ſolito more, externus ſinus doluit. Dimidia a partu hora ſoluta & os uteri opplens placenta, inſcia matre, extracta eſt.

Epicriſis.

1. Partus ſpecimen eſt, quo matura forcipis applicatione periculoſis genitalium inflammationibus & capitis cuneationi prævertitur, ex diuturnitate partus & capitis mole metuendis.

2. Expeditior faciliorque operatio fuiſſet, ſi ad capitis in pelvis capacitatem lapſum differri potuiſſet. Aegerrime forcipis vulgaris brachia ſupra pelvis aperturam ſuperiorem caput comprehenſura aſcendunt, eaque in ſede ultra aurium regionem in capite non pergunt, velut impreſſa apicum veſtigia docent. Niſi etiam firmiſſime brachia comprimantur, ſua ſponte tracta elabuntur, denuo reponenda. Longior & curua, qualem LEURETUS *) deſcribit, forceps in illa ſede caput certior comprehendit. Breviori forcipe ex cavo pelvis commode caput ſolvitur.

3. Mutata fere, quando ſinu externo exſolvi caput debet, forcipis directio operationem juvat. Prior perinæo depreſſo occiput excutit, amplioremque pelvis inferiorem portam pandit; altera ita ad oſſa pubis caput inflectit, ut primum occiput elevetur, dein vertex prodeat tandemque facies erumpat. cf. LEURET. l. c. p. 163.

4. Propriis viribus, ut RUYSCHIUS bene docuit, uterum placentam excutere, alibi exponetur.

5. Potuiſſet etiam, ceu in ſimilibus caſibus ſæpe notavimus, ſoli fere naturæ totum partus negotium committi, lentius abſolvendum. Putamus tamen in deſcripto caſu forcipem, quæ dolorum frequentiam ſupplet, virium in pariente inſignem parſimoniam feciſſe.

*) *Suite des Obſervat. ſur les Accouchem. laborieux Art. VI. p. 198.* PRAESID. *Obſſ. de partu laborioſo. Obſ. XIV.*

OBSER-

OBSERVATIO II.

PELVIS COMPRESSA, CAPUT OBLIQUUM, FUNIS COLLO CIRCUMPOSITUS.

PERFORATORIO EXTENUATUM ET FORCIPE TRACTUM CAPUT.

Alius feminæ, primum uterum gerentis & vigeſimum ætatis annum non excedentis, in tertium usque diem, ſine memorabili progreſſu partus protrahitur. Primos nempe dolores prima hora matutina ſentit, & ſequente hora nona liquor amnii effluit; inde tertio die, cum optime adhuc vires valerent, friget mane & inter horam a meridie ſecundam tertiamque inſigni frigore & horrore agitatur, poſtquam in utero motum fœtus, primum extenſionis, deinde contractionis alternum & ita, ut præcordia ſibi rumpi putaret, validum perceperat. Sequitur calor febrilis & tertia hora obſtetricans accedens phænomena ſequentia animadvertit; 1) abdomen in hypochondriis multum expanſum, parum ad anteriora eminens & in thoracem quaſi tumorem efferens, ſine lapſu vel ſubſidentia in pelvim, qualis ante partum obſervari ſolet (vocant den leib hoch tragen): per omnem graviditatem ſimilem abdominis habitum fuiſſe pariens teſtata eſt; 2) anguſtum ſinum externum, cum lato frænulo; 3) duriorem & elatiorem abdominis tumorem in hypochondriis ſiniſtris, quam dextris; 4) caput dextri oſſis innominati criſtæ in ſuperiori vaginæ ſede appreſſum, cum liberiori ad ſedem ſiniſtram ſpatio. Neque in pelvis capacitatem, neque in aperturam ſuperiorem caput deſcendit, ſed ſolum occiput cum parte oſſium bregmatis ſuperiori aperturæ inhæret: dimidium capitis oſſi pubis, verſus ilia dextra, incumbit, altera pars, cum modico tumore, ex dextra capitis ſede nato, pelvis cavo opponitur: facies verſus ilia ſiniſtra & poſteriorem locum ita dirigitur, ut frontis oſſa & orbitarum pars ſuperior ad ſuperiorem curvaturæ oſſis ſacri ſedem tangantur, & reliqua curvaturæ pars capite vacua ſit; 5) pelvim com-

 preſſam

preſſam, à ſymphyſi ſaltim oſſium pubis ad oſſis ſacri tuber vix trium pollicum diſtantiam, & naturalem in lateribus pelvim; 6) nullibi marginem oris, ſive ſegmentum uteri inferius totum deterſum, ſed in omni ambitu, præcipue ſiniſtra ſede, qua caput non eſt appreſſum, dependens modice; 7) regionem pubis in abdomine ita prominentem, ut pone eandem caput tangatur & ipſa leviſſime preſſa multum doleat; 8) dolores frequentes, breves, multo cruciatu parientem torquentes, ad pubis maxime regionem dextram, in femore & inguine dextris, præterea in omni ambitu uteri lancinantes & ſcindentes cum perpetuis feminæ querimoniis, neque partum promoventes, neque caput deturbantes; 9) tumentia genitalia externa & vaginam; 10) febrilem pulſum, plenum & frequentem. Larga venæſectione ad operationem præparata femina eſt, ſiquidem naturalem partum expectare in illis pelvis anguſtiis, obliquo fœtus ſitu & partus ſine progreſſu diuturnitate, fruſtra fuiſſet. In forcipem licet, ob pelvis anguſtiam inſignem, operator multum ſpei non repoſuiſſet, ejusdem tamen periculum facere conſultum eo ſcopo duxit, ut memorabili ſpecimine, quantum in anguſta pelvi illa valeret, cognoſceret. Quare in commodum ſitum femina ita diſpoſita eſt, ut elevata genitalia operanti manui recte & ſolito more opponerentur. Difficilis licet in ſede dextra forcipis eſſet applicatio, lente tamen & caute procedendo operator eo pervenit, ut totum inter caput & ilia dextra alterum forcipis brachium promoverit & caput inde velut vecte quodam deprimens in pelvis medium locaverit. In oppoſita regione alterius brachii facilis dejectio fuit. Dum una manus forcipis brachia direxit, altera eadem in vagina ducens caute marginem oris propendentem, ne ſimul prehenderetur, dimovit. Quo etiam capitis medium prehendatur brachia ea lege applicita ſunt, ut ſub demiſſionem perinæum deprimant, & eorundem apices ſurſum ad caput vergant. Quod artificium ſi negligitur faciei fœtus forcipis brachia vicina nimis firmantur. Valide clauſis brachiis pertinaciſſime operator caput prehendit, gnaviter ſine lapſu brachiorum forcipem traxit, compreſſit cranium maſcule, & in omnem directionem terebrando quaſi caput agitavit: cuncta licet cum

debita

debita conſtantia & moderatione acta ſint, ne hilum tamen caput promotum, ſed facile notatum eſt, oſſis ſacri tuber & oſſium pubis ſymphyſin idem retinere, quoque magis à latere preſſum eſt, eo ad illa obſtacula ſubſtantiam capitis magis compulſam & latitudinem illam auctam eſſe. Forcipem autem in ſedibus anteriori & poſteriori applicari debuiſſe nemo, putamus, operationis gnarus dixerit. Caput in longam formam compactum, frontisque oſſa & occipitis aliquot linearum latitudine, ſuper bregmatis oſſa mota validiſſimam forcipis actionem arguerunt, ſatis etiam ex feminæ corpore, validam tractionem, ac ſi pars ejus caput eſſet, ſequente & vix ab adſtantibus retento, cognoſcendam. Si pertinacius operator inſtitiſſet, ſymphyſin oſſium pubis fregiſſet. Ita, ſublata licet capitis obliquitate, fretum inter oſſa pubis & ſacrum ampliatum non eſt. Erat itaque de operatione cæſarea vel perforatorio deliberandum. Signa non dubitanter fœtus mortem comprobantia conſilium operatoris in perforatorii uſum facile traxerunt; ſcilicet a) mephitis ſingularis, putris, e genitalibus ſpirans; b) tenuis ſanguis, ichoroſus, fœtensque, qui ſub forcipis applicationem e genitalibus fluxit; c) longa ab effluxu liquoris amnii mora; d) matris frigus & fœtus, quam mane femina ſenſit, agitatio, agonizantis convulſiones procul dubio indicans; e) deſinens ab eo tempore fœtus, in pelvis cavum non depacti, motus, antea licet validus fuerit; f) capitis tumor œdematoſus, mollis, mobilis, nunc in anteriorem, nunc in poſteriorem ſedem cedens, neque a doloribus, utique adhuc frequentibus, vel creſcens vel induratus, neque à forcipis preſſione. Applicatum autem ex artis legibus perforatorium eſt. Primum inciſa eſt cutis cranii collapſa & nil ſanguinis ab inciſione profundens, ulteriori mortis fœtus, ſtagnantis nempe à morte in vaſis ſanguinis, documento: inde ad fontem pulſatilem, oſſi ſacro vicinum, directum ferrum, ab indice ſiniſtræ manus, in vagina verſantis, digito deductum & ab inferiore regione ad ſuperiorem valide impulſum eſt. Ita ſiniſtrum (ut ex directione inſtrumenti & ſectione fœtus patuit) cerebri hæmiſphærium, illæſo dextro, perforatum eſt. Digitus in foramen penetrans nihilque in cerebro pulſus notans idem

hæmiſphærium evertit. Cranium prehenſo oſſiculo parum attractum & major oſſis bregmatis ſiniſtri pars ſuperior digitis agitata, rupta & excuſſa eſt, inferiore parte cum cranio integra manente. Ita quidem multum cerebri effluxit, trahi vero digitis neque potuit cranium, neque a dolorum vi, ſenſim debiliorum, multum auxilii ſperari: atque adeo iterum applicita forceps & in omnem directionem, velut terebra, agitata, caput in pelvis cavum ad externum usque ſinum, perinæo depreſſo, detractum atque forcipis tandem brachiis, velut vectibus, ad oſſium pubis ſymphyſin elevatis, faciem ſinus externus, obliqua ad ilia ſiniſtra verſam, velut faſcia quædam amplexus eſt. Parca, dum caput deſcendit, liquoris amnii copia effluxit. Inde remota forcipe altera manus perinæum repreſſit, altera caput, velut ex capſa fabam, expreſſit. Funis collo ſimpliciter circumpoſitus, forfice perſciſſus & caput ulterius tractum eſt. Reſtitere humeri recte locati, quorum primus ſiniſter, dein dexter artis lege ſolutus eſt. Siniſtra fœtus manus in vicinia colli locabatur. Mortuum ante perforatorii uſum ex ſuffocatione in diuturno partu docuit tum corpuſculi cutis paſſim flaccida, plerisque in ſedibus, capite, ſcroto, abdomine extremis &c. livida, tum ſectio cadaveris, ſuffocationis phænomena manifeſtans. Cæterum pendebat maxilla inferior, os hiabat, & caſeoſa vernice ſueta cutis oblinebatur. Placenta mox uterus ſine difficultate decorticatus eſt, dextram uteri regionem, fœtui oppoſitam, verſus inferiora, infra fundum, occupantem. Funis flaccidus placentæ virideſcentis non medio ſed verſus marginem inferiorem, tertiæ diametri parti, parum ad latus dextrum, inſerebatur. E morboſo puerperio felix mater ſine labe evaſit.

Epicriſis.

1. Juncta obſtacula arctioris pelvis, ſitus obliqui & funis collo circumpoſiti pejorem partum faciunt. Obliquum poſitum forceps mutavit.

2. In

2. In magna pelvis anguſtia, licet bene locetur caput, forceps caput non ſolvit. Malum forceps auget, ſi compreſſa pelvis eſt, & è forcipis compreſſione verſus minorem pelvis diametrum capitis ſubſtantia agitur.

3. Mox caput trahitur, quum effuſo cerebro latitudo etiam ab anterioribus ad poſteriora decreſcit, non obſtante funis retinaculo. Videant alii, quomodo ſine perforatorio iſtiusmodi partus abſolvatur, quoque jure perforatorium, ut noxium ferramentum culpetur?

4. Non male, putamus, forcipis applicatio, poſtquam effuſum cerebrum eſt, commendatur, *) apte & cranium, tenuius licet, comprehendentis & caput deturbantis.

5. Univerſalis in omni fœtus ſolutione, ſive manu fiat, ſive inſtrumento, cautela à practico negligi nunquam poteſt, ut ne recta trahat, ſed terebrando quaſi fœtum, blanda opera, exſolvat. Ita genitalium & fœtus partes partibus cedunt, blande dimotis remoris.

6. Quum compreſſa pelvis eſt, neque caput deſcendit, neque ventris tumor ſubſidet, verſus thoracem elatus.

7. In caſu uteri obliqui ſegmenti inferioris margo, quem caput non premit, dependere ſolet, ſolent etiam frequentes eſſe dolores ſpurii & lancinantes.

8. Commode vectis ope obliquum caput in rectum ſitum dimovetur.

*) Praesidis *Elem. art. obſtet. §. 422. lit. γ. edit. Ia.*

OBSERVATIO III.

CAPUT MAGNUM, PARUM OBLIQUUM. PERFORANTE INSTRUMENTO CAPUT APERTUM ET A DOLORIBUS EXPRESSUM EST.

Femina ruſtica, quatuor infantum mater, ultra trigeſimam horam ſine ſucceſſu parturiverat, cum operator acceſſiſſet veſperi. Sub meridiem chirurgus quidam in pedes convertere fœtum fruſtra, ob capitis impedimentum, molitus erat. Mox ſub partus initium amnii liquor effluxerat. Nihil in pelvim naturalem culpæ conjici poterat, quæ videlicet naturali partu quolibet quatuor olim infantes transmiſit & commode integram operatoris eodem, ut uteri & fœtus ſtatum cognoſceret, pénetrantis, manum recepit: ſed capitis magna moles & obliquus ſitus cum oriente uteri inflammatione & dolorum inde pendente ſegnitie, partum vitiarunt. Siquidem notata ſunt; 1) pudendorum labia inflata; 2) parturientis ſudor, debilitas, plenus & frequens pulſus, fuſco muco tecta lingua, & ſanguis mox ex brachio miſſus gelatinoſa inflammationis cruſta tectus; 3) caput ſuperiori pelvis aperturæ, ſine paragomphoſi, incumbens, in omni ambitu ultra pelvis oram expanſum & lateri ſiniſtro firmius, quam dextro appreſſum, cum modico tumore aquoſo, mobili, ex oſſe bregmatis ſiniſtro pendente; 4) abdominis tumor verſus dextra hypochondria aſcendens; 5) os uteri totum apertum; 6) ceſſantes a meridie & dolores ad partum & fœtus motiones; 7) ita vero cranii oſſicula diſponebantur, ut vergerent frontis os oblique ad ilia dextra, occipitis ad ilia ſiniſtra, ſiniſtrum os bregmatis, in vicinia oſſium pubis, verſus pelvis cavum, dextrum ad os ſacrum. Ne ullo modo aliquid præcipitanter fieret, per plures horas, antequam aliquid moliretur, præſtolatus eſt operator. Poſtquam vero immutata cuncta ſubſiſtere, perpetuam dolorum quietem, & tu-

moris

moris in capite habitum, neque mole neque duritie creſcentem, atque longiorem moram inflammationis periculum augere animadverteret operator, operationem commode non differri debere putavit. Capitis moles, ſuperiorem pelvis aperturam opplens, & ſtrictus circa corpuſculum uterus, rigidus & inflammationi aptus verſionem in pedes non admiſerunt, quæ & ipſa, ſi perfici potuiſſet, agitatione manuum graviorem feciſſet uteri inflammationem, fœtuique, ſi vixiſſet, non peperciſſet: ſatis enim compertum eſt, quam gravis ſit operatio, quamque cum certiſſima fœtus morte comprimatur umbilici funis, quum magnum caput poſt converſionem ad pelvim reſtagnat. *) Forcipis primum periculum factum eſt, ex inſuperabili obſtaculo ſuperfluum. Remotam nempe capitis molem & pelvim ſuperantem nulla in ſede brachio, ut] ſaltem decet, comprehendere ipſi licebat, obſtante etiam tumore genitalium: Qui excedens oram pelvis caput, longam viam & tumens oſtium cogitat; facile ſentit, non ſatis pro capite comprehendendo forcipis, etiam longæ, anſam in oppoſitam comprehendenti laminæ ſedem inflecti poſſe, artificio tamen in iſtiusmodi caſu, lato nempe & ſupra pelvim locato capite, utique neceſſario. Et ſi vehementer brachium impuliſſet operans, uteri parietem vicinum capiti, certiſſime perforaſſet, vel ſaltem laceraſſet & gangræna vitiaſſet. Præſtolari autem donec in cavum pelvis delapſum ſit caput, in pertinaci dolorum quiete & oriente uteri inflammatione non, credimus, debuit. Quid itaque conſilii capiendum? Incidatur abdomen & fœtus cum matre ſervetur, forſan quis reſpondebit. Aſt ſciat morte feminas noſtræ regionis ruſticas non terreri, ſed ſcindente inſtrumento, omneque operationis cæſareæ conſilium apud eas abiiciendum eſſe, cujus etiam ſub deſcriptis circumſtantiis non leves difficultates operator animadvertit, ancipitem nempe ſucceſſum in oriente uteri inflammatione matrisque debilitate & veriſimilem fœtus non commoti, licet in pelvim defixus non ſit, mortem, ex capitis tumore non creſcente vlte-

*) cf. PRAESID. *Elem. art. obſt.* §. 252.

ulterius inferendam. Præter perforans inſtrumentum pro matre ſervanda nihil ſupererat. Prima in regione oſſis bregmatis ſiniſtri cute perforata lapſum in idem os inſtrumentum ſubſtitit; ſiquidem neque os ſolidum & durum perforare, neque inter binorum oſſium hiatum inſtrumentum penetrare potuit, ita nempe locatorum, ut in pelvim dirigeretur os bregmatis ſiniſtrum ejusdemque ambitus cum vicinis hiatibus ad pelvis latera ſpectaret, ipſique hiatus prominente oſſis bregmatis margine toti tegerentur: quare ſine læſione vaginæ obſtinanter eodem perforatorium operator non adegiſſet. Ut tamen cranium evacuetur, indice digito manus dextræ, in vagina locatæ, oſſis bregmatis ſiniſtri marginem operator prehendit, qui ad homonymum os in vicinia oſſis occipitis ſpectat, repreſſit & a dura matre ſolvendo duo fruſtula fregit. Ita quidem digitus leviter læſus, ſed nudata pars eſt duræ matris, quam inſtrumentum perforare poſſit. Nihil ad duram matrem pulſus tactum eſt. Digitus inde foramen ampliavit & effluxit cerebrum. Latera porro cranii digitis preſſa ſunt, ulterior cerebri copia effuſa, digitus, velut uncus foramini injectus, prehenſum oſſiculum & attractum cranium eſt. Ita cranio in pelvis capacitatem deturbato renati dolores ſunt, ipſique partim, partim operatoris tractio, caput multum compreſſum e genitalibus moverunt. Capite tandem prehenſo totum corpuſculum, recte locatum, ſolutum eſt. Conſtanti animo, ſine edita vociferatione vel de cruciatu querimonia, licet manus operantis agitationem ſenſiſſet, parturiens manſit. Magnus puer natus inſignis molis caput, viſu maximum & figura rotundum, cerebrum licet effuſum ſit, obtulit. Poſt brevem operatoris requiem placenta mole magna, adeoque difficulter prehendenda, infra fundum nexa, uterus decorticatus & liberatus eſt. Tumor pudendorum cataplasmatibus emollitus atque modica matris febris venæſectione & temperantibus ita ſublata eſt, ut recte lochia profluxerint.

Epicri-

Epicriſis.

1. Ad tertiam capitis magni ſpeciem vel gradum, in quo caput ſine deſcenſu ſubſiſtit, & perforans inſtrumentum ſibi vendicat, deſcriptam obſervationem pertinere, facile liquet.

2. Quum ſuperiore pelvis apertura in omni ambitu latius eſt caput, idem forcipis brachia ſine violentia atque læſione non comprehendunt.

3. Nequit ſemper operans conſilium de præſtolando capitis in pelvis cavum deſcenſu, quum ex ſuperiore apertura forcipis ope non dejicitur, ſequi: quomodo enim in dolorum quiete deſcenderet?

OBSERVATIO IV.

CAPUT MAGNUM, OBLIQUUM, INIQUE SITUM, PELVIS ANGUSTA ET HUMERI MALE LOCATI. FORCIPIS, PERFORATORII ET UNCINI USUS.

Varia in femina, primum gravida, vigeſimo ætatis anno haud multum ſuperiore, ultra menſem ante partum, genitalium vitia obſervantur, utriusque nempe nymphæ maximus tumor, tenſus, durus, ſplendens, pyri ſimilis, dextro ſiniſter major, juxta longitudinem in binos quaſi alios fiſſus, paſſim nigricans magisque ac dexter dolens; albus lactensque quaſi liquor e vagina profluens; œdemate pedes, maxime ſiniſter, tumentes; ægerrimi feminæ greſſus, multum tumoris ſiniſtri dolorem exacerbantes; ſiniſtra mamma major, quam dextra. A variorum remediorum uſu ſenſim tumores ita mi-

 nuuntur,

nuuntur, ut explorantem digitum vagina admittat. Elapſo menſe & ultra ſub veſperam dolores obrepunt, poſtridie decima hora matutina amnii liquor profunditur, mox naſciturum caput, quod facile pone pudendorum ſinum contingit, obſtetrix exceptura præſtolatur. Aſt caput per integrum diem nihil promoveri animadvertens operatorem vocat, qui decima hora veſpertina accedens, ſequentem parientis ſtatum notat; α) tumorem uteri hypochondria magis dextra, quam ſiniſtra occupantem; β) genitalia multum tumentia, pudendorum nymphas magnas, a latere quaſi compreſſas & ad anteriora eminentes; γ) pone nymphas magna & copioſa granula ſcirrhoſa, qualia venereæ gonorrhœæ jungi ſolent; δ) acutum & ita pone pudenda ſitum caput, ut ilia dextra magis repleat, quam ſiniſtra, occiput ad ſiniſtra ilia verſum, faciem autem dextris ita appreſſam, ut contingi digito explorante nequiret; ε) vim dolorum validam quidem, ſed nihil pro partu faciendo promittentem; ζ) pelvis etiam ad inferiorem aperturam anguſtiam. Quid conſilii in ancipiti hoc caſu ſortiendum ſit, fere dubitavit operator. Simpliciſſimum tutiſſimumque fuiſſet perforatorio caput extenuare; ſed ſigna mortem fœtus nondum docentia illam feſtinationem prohibuerunt. Morboſi corporis abdomen & uterum incidere neque per parturientis conſenſum, neque per artis leges ipſi licuiſſet, quæ in ſaniſſima ſola parturiente operationis cæſareæ copiam faciunt. De mitiſſima itaque forcipe ante reliqua operator cogitavit, innoxii inſtrumenti periculum facturus, ex cujus licet uſu parum auxilii ſperaret. Voluit autem hoc etiam caſu experiri, quousque adeo multis recentiorum laudatus forcipis uſus extendi poſſit; ſed vel hac quoque obſervatione didicit, ſuos forcipis in vera paragomphoſi terminos eſſe, quos ſine matris noxa transgredi non licet operatori: a pelvis lateribus, ut decet, forcipem applicare non potuit, quod appreſſa facies in dextro latere ita ſit, ut ſine laceratione forcipis brachium non admiſiſſet, quæ ipſa etiam, ſi prehendi poteſt, forcipe tangi non debet. Applicata itaque forceps ſupra fœtus aures eſt, unum nempe brachium infra oſſium pubis ſymphyſin, alterum ſupra os ſacrum. Senſim illa applicatio, licet cum difficultate quadam &

violen-

violentia, ſucceſſit, quam nympharum tumores, feneſtris forcipis ſeſe inter demittendum inſerentes, auxerunt. Vera autem capitis ad omnem pelvis ambitum paragomphoſis præcipua negotia fecit. Ægrius etiam in regione oſſium pubis quam oſſis ſacri forcipis brachium penetravit. Tentavit primum operator lenem eo ſcopo capitis refuſionem, ut humeri, procul dubio oſſium pubis ſymphyſi & oſſi ſacro inhærentes, ſolvantur; nulla autem iſtius artificii copia facta, ſed acerbi cruciatus orti ſunt. Tunc bene comprehenſum caput ita vertere voluit, ut facies os ſacrum reſpiciat & humeri ſolvantur; aſt caput potius diffractum, quam iſta operatio perfecta eſſet, adeo immobile caput hæſit. Detrahendum itaque caput in ſuo ſitu & humeri inde ſolvendi fuiſſent. Quam tractionem operator vectis actione juvit, nunc uno brachio os coccygis deprimens, nunc altero ad oſſa pubis, digitis operatoris defenſa, velut hypomochlion quoddam, verſo. Valide ſimul & maſcule traxit. Ita quidem parum pone ſinum deductum eſt caput, nihil autem elapſum, alterum potius forcipis brachium in rectum planum preſſum eſt. Ita fruſtra non ſolum applicita forceps, ſed temporis etiam intervallum conſumtum, genitalia agitata, contuſa & magis inflammata, fœtus caput compreſſum & non minus, quam perforatorio fit, læſum atque parientis vires fractæ & acerbi dorſi cruciatus excitati ſunt: crevit ſimul capitis in fœtu tumor, multumque oſſa ſuper ſeſe mota ſunt. Ipſum adhuc vivere motus docet in utero, creſcens a forcipis compreſſione capitis tumor magnus, & fœtoris genitalium, in morte fœtus ſingularis, abſentia. Vis dolorum, per omnes operationes non ſolum valida, ſed a diductis etiam genitalibus aucta, tractionibus licet jungeretur, nihil partum promovit. Inde parturienti æque ac operatori quietis aliquod intervallum datum eſt. Ceſſant interea temporis dolores & peculiarem fracturæ quaſi dolorem in dorſi regione parturiens percipit, a corporis motu acerbiorem. Poſtridie ad opus reverſum eſt, & ſequens feminæ habitus deprehenſus; pulſus febrilis, rubens facies, alba lingua, vires integræ, graviſſima paragomphoſis, durior & major ſenſibilium genitalium tumor, modicus olentis liquoris e genitalibus fluxus, mobilis mollisque

que capitis in fœtu tumor, mobiliaque cranii oſſicula. Quid nunc perforatorii uſum in graviſſima paragomphoſi & fœtu procul dubio (ut capitis tumor & fœtens liquor indicant) mortuo retardaret non vidit operator. Perforavit artis lege cutem & , quum ſanguinis nihil proflueret, ſtagnaſſe eundem mortuumque fœtum eſſe non dubitavit. Ita cranii oſſa ſuper ſeſe mota ſunt, ut ſiniſtrum os bregmatis orificio vaginæ objiceretur, dextrum perinæo, & ſiniſtrum dextro incumberet. Quare perforatorium ita dirigendum fuit, ut a parte inferiore verſus oſſa pubis aſcenderet, inter oſſium hiatum penetrans, qui bregmate ſiniſtro tectus ad partem inferiorem aperturæ vaginalis dirigitur. Neque ad fontanellam anteriorem in latere dextro locatam, neque ad poſteriorem perrexit inſtrumentum, difficulter membrana oſſicula jungens pertuſa & demiſſo dein cochleari cerebri pars extracta eſt. Forcipe porro applicita cranium ulterius compreſſum, reliquum cerebri effuſum & vacuum in capitis ambitu paratum eſt. Apprime quidem aurium regioni inhærens forceps comprehendit caput, ſed pertinaciſſime defixum corpus non attraxit. Toto vero capite compreſſo ſola ſine hoc forceps elapſa eſt, quamvis etiam media oſſicula inter forcipis brachia obſtetricem firmare curaverit operator. Inquirens in libero capitis ambitu in retinaculi cauſſam, ſitum humerorum obſervavit, oſſibus non innitentium, ſed clavorum inſtar ſine ullo motu ſuperiori pelvis aperturæ infixorum, medio inter os ſacrum & ſymphyſin oſſium pubis ſpatio. Neque manu, neque unco ſolvi ad capitis latus humeri potuerunt, nimis preſſi, non comprehendendi, nihil admittentes: uncus etiam ob capitis impedimentum ne quidem ad humeros promovebatur. Neque reprimere ex apertura pelvis in uterum humeros datum fuit. Prehendit itaque operator manu occiput, juſſit, ut nixibus additis deorſum premat parturiens, ſed ne hilum inde caput promotum eſt. Vectem in pubis regione addidit, deprimens caput ad os ſacrum, ſed nec hoc quidem auxilium caput deduxit. Agglutinatos pelvi humeros dixiſſes. Cogitavit dein operator de ſolvendis quibusdam capitis oſſiculis, ut transverſum idem ab uno latere in alterum defixum mobilius fiat & ſpatium ibi ſimili modo, ac

ad-

ad oſſa pubis & ſacrum, paretur. Exemta itaque non ſine difficultate fruſtatim ſunt oſſa occipitis, bregmatis, ac ex parte temporum. Ita ſoluta & remota eſt longa capitis eminentia poſterior, quæ hactenus ad ilia ſiniſtra ſpectaverat & cum facie ad dextra ilia verſa, capitis ſitum transverſum & immobilem fecerat. Ad ſolvendas cutem & membranas ſolis digitis uſus eſt; marginibus oſſium, qua commodiſſima ſede potuit, applicuit uncum & attrahens oſſicula a jungentibus membranulis ſolvit. Nunquam uncinus vel elapſus eſt, vel matrem læſit. Cultrum pro ſcindendis partibus illæſa matre applicare ipſi non licuit. Poſtquam tantum oſſium ſolutum eſt, ut globoſum fuerit caput & in pelvi mobilius, faciem, quam verſus manu perrexit, digitis in orbitas preſſis, parum verſus poſteriora deduxit &, ſua ſponte relapſuram, continuit: deinde ad frontalem marginem orbitæ, nunc ex ſitu capitis inferiorem, defixit uncum & altera manu caput firmavit: ita maſcule, ob ſummam reſiſtentiam, trahens id præſtitit, ut ad aperturam vaginæ deducta fuerit facies. Digitos porro ad ſuperiorem maxillam promovens eandemque comprehendens, ſimul & hanc & altera manu uncum ita, ut caput ulterius ſolveretur, attraxit. Reflexam etiam maxillam inferiorem, quam obſtaculum opponere notabat, depreſſit. Sic tandem eo perventum eſt, ut integra facies extra ſinum locaretur, & hoc repreſſo caput exprimeretur. Multum illæ operationes operatorem defatigarunt. Sine lapſu vel læſione ulla uncus defixus manſit per omne operationis tempus. Una cum capite parum deducti ſunt humeri. Caput, poſt modicam quietem comprehendens trahensque, potius, quam humeros moviſſet, avulſiſſet. Quare brachium oſſi ſacro inhærens, utut difficulter, deduxit & ex cancellis exſolvit, cujus tamen & capitis ope ne quidem in naturalem ſitum corpuſculum inverſum eſt: deductum itaque cum majori difficultate alterum brachium eſt ſymphyſi oſſium pubis vicinum. Tandem & ipſum magnum corpuſculum non ſine difficultate ſequebatur. Placentam ſueto more deglubit, inhærentem ſuperficiei uteri poſteriori verſus fundi partem dextram. Funis placentæ fere medio, parum ad inferio-

ra inſerebatur. Inter operationes expallens femina multum cruciatuum ſenſit. Tertio demum a partu die aliquid ſanguinis ex genitalibus profluxit. Mox à partu querimonias fudit de corporis immobilitate, inde ſenſim ita aucta, ut neque pedes commovere, neque truncum erigere potuerit, ſanis extremis corporis ſuperioribus. Interno etiam in partibus inferioribus inde à lumbis, præſertim ſiniſtris, cruciatu vexata eſt. Inflatum abdomen, ſi premitur, dolet, maxime ad ſiniſtram hypogaſtriorum regionem. Urinam & fæces non continet. Nil in ſede uteri doloris percipit, neque memorabilis genitalium tumor eſt. Cibos bene appetit. Febrilis pulſus & alba lingua eſt. Varia exhibita ſunt medicamina & ſecta vena miſſus ſanguis cruſta craſſa, roſea & copioſo ſero tegitur. Senſim immobilitas augetur, cruciatum, ſi inferiora extrema agitantur, acerbum ſentit, ſine ſomno jacet cum deliriis nocturnis, extenuatur facies, aſpectus fit Hippocraticus, creſcit frequentia pulſus, creſcunt deliria & octavo a partu die placide moritur.

Sectio cadaveris.

1. *Uterus* paſſim lividus eſt, præſertim ad ſuperficiem poſteriorem & partem fundi dextram. Livida eſt *tuba* dextra cum vicino ligamento lato. Inflammatus etiam fundus eſt tubaque ſiniſtra, quæ paſſim livet. Minus inflammata eſt ſuperficies uteri anterior & parum livida. In *ſiniſtro ovario* ſanguinis effuſi nigra macula eſt.

2. Tota *vagina* in utraque ſuperficie per omnem ſubſtantiam gangræna & ſphacelo corrupta eſt, nigra, in lamellas quaſi mucoſas nigras ſoluta, cum copioſo muco nigro: ſine omni ruptura vel laceratione molliſſima ſubſtantia eſt & ſolubilis.

3. Aſpe-

3. Aſpera & inæqualis eſt *interna uteri ſuperficies*, flava & ſcirrhoſa, cum eminentibus paſſim colliculis ſcirrhoſis, calloſis, inæqualibus & ſulcis diſtinctis, quos ſanguinea vaſa perforant. Magnus iſtiusmodi collis ex poſteriore ſuperficie effertur, & plures alii minores in reliqua ſuperficie. In ſuperficie poſteriore, verſus latus dextrum, maxime in regione fundi, ſub externa membrana, copia ulcuſculorum flavorum latet, quæ ipſam etiam ſubſtantiam paſſim in illa ſede perforant. In reliqua ſuperficie parciora ſunt & minora. In ſuperficie interna cervicis veſtigium aliquod columnarum reſiduum eſt; obſcure arbuſculæ & ſinus diſtinguuntur; flava cuncta ſunt & ſcirrhoſa, & ſenſim in vaginam orificii margo continuatur. In vaſis uteri verum pus ſanguini remixtum eſt.

4. Late hiat orificium *urethræ*, quæ craſſa eſt, inflammata & gangrænoſa. *Nymphæ* multum tument, comprehendunt ſubſtantiam duram, fere ſcirrhoſam. Similia modo *ſinus* labia turgent. Parva *clitoris* eſt.

5. Expanſioni oſſis ilium dextri *uterus* incumbit, in media & dextra parte ſupra os pubis eminens.

6. Modica aquæ copia in abdomine fluctuat. *Inteſtina* pallida cum *ventriculo*, cæterum naturali modo ſita, multum aëre inflata ſunt, præter contracta cola transverſum & ſiniſtrum, quæ ſimul latent, illud inter ventriculum & inteſtina tenuia, hoc ſub tenuibus ſolis: præ reliquis partibus prominet magna ventriculi curvatura. *Vaſa ventriculi venoſa*, verſus originem omenti, *aërem continent*.

Epicriſis.

Epicriſis.

1. Peſſima partus ſpecies eſt, in qua malorum ſodalitia parientem peſſundant, caput videlicet magnum, obliquum, inique ſitum, anguſta pelvis, & humeri male locati. Sub iſtiusmodi conditionibus unica fere operatio cæſarea opem ferre poteſt, quam vero in deſcripta obſervatione uterus morboſus fieri negavit. Conſpicua autem uteri mala, quæ ſectio detexit, hariolari operator ex pertinacibus nympharum tumoribus, vaginæ granulis, fœtentis liquoris fluxu, pedum œdemate & toto feminæ habitu morboſo potuit.

2. Feminæ mors inevitabilis fuit quocunque etiam ſe vertiſſet operator. Labes enim uteri ſcirrhoſa & purulenta, ceu ex ſectione & ſymptomatibus partum antecedentibus patuit, antiqua, & dudum ante partum præſens fuit. Solent autem, ceu & alias obſervavimus *), ulcera vel ipſius uteri, vel utero vicina, in partu ipſo, utut ſit bonus, exaſperari & gangrænam facere. Nihilo tamen ſecius in præſenti caſu melius multo ad perforans inſtrumentum mox operator transiiſſet, ſine inutilibus forcipis agitationibus, quae videlicet genitalia prementes inflammationis & gangraenae pericula augent. Neque à dolorum vi propellente aliquid, in graviſſimorum impedimentorum pertinacia, fructus ſperari poterat.

3. Scir-

*) *Cf.* PRAESID. *Obſſ. de partu labor. Obſ. VIII. cui alias etiam huc ſpectantes obſervationes propediem deſcribere animus eſt.*

3. Scirrhus & ulcera uterum ad gangrænam diſponunt; exaſperat diſpoſitionem illam & excitat partus; augent forcipis preſſiones & agitationes; confirmat humerorum lentus & impeditus deſcenſus.

4. Uncino licet frequentiſſime careamus, fieri tamen poteſt, ut ſine eodem partum non abſolvamus. Cf. PRAESID. *Obſ. Med. de partu laborioſo Obſ. IV. Epicr. 5. p. 144.* Præcipua cautio eſt, ut recte defigatur, & oppoſita manu eo ſcopo, ne genitalia forſan labens lædat, muniatur.

5. Revera pelves anguſtas obſervari, hæc etiam obſervatio confirmat. Cf. PRAESID. *Obſ. cit. Obſ. VIII. Ep. 6. p. 160.* Dimenſiones autem ſunt: diameter aperturæ ſuperioris 5. poll. ejusdem conjugata 4¼. poll. Quare ad hanc aperturam proportiones non peccant. Niſi etiam hujus aperturæ conjugata ampla ſatis fuiſſet, eodem humeri non deſcendiſſent. Inferioris aperturæ præcipue & dimenſiones & forma culpari debent. Arcus nempe oſſium pubis in formam ducitur anguſtam, qualis pelvi virili magis, quam femineæ propria habetur, & oſſium iſchii tubera 3½. poll. oſſis autem coccygis extremum ab oſſium pubis ſymphyſi vix 2¾. poll. diſtat. Ita cum oſſe coccygis ſacrum ad anteriora preſſum eſt, ut centro aperturæ ſuperioris apex coccygis reſpondeat, & lineæ aperturæ inferioris, quam ductam fingimus à tuberum iſchii maxima dicta diſtantia. Quare tota apertura inferior triangulo comparari poteſt, cujus poſterior baſis 3½. poll. longa eſt, apex ad ſymphyſin oſſium pubis pertinet, & altitudo 2¾. pollices non ſuperat. Quam arctum vero ſpatium inde oriatur, quamque parum partui faciendo aptum, ultro liquet. Ex dictis facile ſumma partus

 difficul-

difficultas intelligitur, ſua licet ſponte caput cum humeris in pelvis cavum delapſum ſit. Pelvis videlicet ad ſolam aperturam inferiorem arctatur.

6. In notabili pelvis angustia laterali perinde eſt, ſive humeri naturali modo locentur, ſive in pelvim deſcendant oſſibus pubis & ſacro vicini.

7. Fracturæ ſenſus, velut in morbis, ita in partu ſuſpectum ſemper eventus ſignum eſt. Cf. PRAES. *l. c. Obſ. XVII. p. 76.*

OBSER-

OBSERVATIONES
DE
PARTU LABORIOSO
SPECIMINE INAUGURALI

PRAESIDE

I. G. R.

DIE XI. SEPTEMBR. MDCCLX.

PROPONIT

CAROLUS CHRISTIANUS RUDOLPHUS
MULLERUS

AMELUGSBORNA - BRUNSVICENSIS
THEATRI ANATOMICI GOTTINGENSIS PROSECTOR.

B. L.

Reſpondentis immatura morte & præſidis negotiis obſervationum continuatio & ſeries impedita eſt.

THESES AD DISPUTANDUM.

I. Febris non eſt morbus.

II. Specifica non ſunt, niſi in manu periti.

III. Quantitates non videmus.

IV. Puerilis quæſtio eſt, cur erecta videamus objecta, quorum inverſa imago in retina pingitur. *)

V. Secernitur ex ſanguine ſanguis.

VI. Non datur violentum ſtuprum phyſicum in adultas.

VII. Suſpectus utplurimum eſt partus ſerotinus.

VIII. Sentire diſcimus.

IX. Ex una ſenſatione in alteram transferimus.

X. Non dantur ideæ innatæ.

XI. Homo eſt animal univerſale.

XII. Naſcuntur ex homine monſtra vegetabilem vitam viventia.

*) *Cuncta in retina inverſa pinguntur, cœlum, terræ ſuperficies propriique corporis habitus, atque adeo relatio omnium imaginum in retina eadem eſt, quæ in objectis: fieri itaque nequit, ut ſuperiora ad pedes noſtros referamus, ſive inverſa videamus, vel inferiora ad cœlum elevemus, quorum relatio recte in retina pingitur.*

OBSER-

OBSERVATIO
PROLAPSUS UTERI.
VERSIO.

Femina, anno ætatis vigeſimo quarto, ſecundum uterum gerens, tres omnino hebdomades præſagientibus doloribus vexatur, in veros ſenſim mutatis. Inde licet parturire videretur, dependens tamen os uteri, modiceque ad externam aperturam hians, ſeſe non ſubduxit, velut alias fieri ſolet; ſed a doloribus non ſegnibus, in vaginæ oſtium depellitur, & in priſtinam ſedem ſuapte natura, poſtquam deſiit dolor, retrahitur. Dum hæc ad os uteri aguntur, mobile caput, in ſuperiore pelvis apertura, moratur, cum circumfuſo amnii liquore. Spuria quidem partus illa ſcena, ad alterius hebdomadis finem producitur, amplo interim orificio uteri, ad internam aperturam conſtricto, & ſcypho quaſi, vel cavo cono ſimili. Duas ſequentes hebdomades partus, induciis datis, vehementer parturientem obſidere cœpit, noctibus inſomnibus, doloribus validioribus, dejecto ſenſim extra ſinum ore uteri. Iterum caput in excelſis cum amnii liquore quieſcit, atque ſolum os uteri dolorum vim experitur, in longiorem ampliorемque, tumentem & inflatum, tubum conicum expanſum, qui aliquot explorantis digitos junctos reciperet. Nondum tertio die, cum naturalis partus proceſſiſſet, de artis auxilio conſilium captum eſt. Protinus quidem, inter fruſtraneos partus labores, de manuali tractione cogitatum eſt; aſt interna oris apertura ita clauſa, ut vix digiti apicem reciperet, eo minus operationi locum reliquit, quo validior ſphincter ejus, ab impulſo digito explorante ſollicitatus, ſtringeretur. Mutato itaque conſilio, amplum cervicis ſcyphum & ad inferiorem marginem multum tumentem, demiſſa eodem operatoris manus, facile in naturalem ſitum reduxit, caputque velut pilam quandam duram, in loco altiſſimo locatam, & omnem dolorum actionem eludentem, tetigit. Adeo etiam a doloribus amnii liquor neque deturbatur, neque velamenta tenduntur, ut omnis effluxiſſe videatur. Curatum

inde eſt, ut a miniſtrantis relicta in vagina manu, repoſitum orificium detineatur. Ita tota nunc cervix diducitur, aperitur in amplum, & aliquot digitos admittentem tubum; velamenta etiam tenduntur: neque autem caput, oſſibus pubis appreſſum, neque velamenta deprimuntur. Quamobrem poſtridie ad operationem ventum eſt, omnibus antea ex artis regulis præparatis. Inter initia operator partem maxime cervicis ſuperiorem dependentem notavit, & cum quadam difficultate, addito terebrationis artificio, manum aperturæ cervicis ſuperiori, adhuc anguſtæ, impulit. Liberior fuit brachii penetratio, & manus in utero circumactio, quæ quendam ſimul lotii elapſum fecit. Ruptis inde, digitorum impetu, velamentis, plurimum liquoris amnii effluxit, & manus, oſſe ſacro duce, quod anteriorem ſedem caput, ad oſſium pubis partem dextram locatum, obſtrueret, porrexit. Verſus os ſacrum facies dirigitur, pedes, abdomini ſubjecti, parum ab ore uteri remoti ſunt, capiti vicini, decuſſati & modice ad ſiniſtram plagam inflexi. Prehenſos pedes junctosque ea ratione, ut palmæ manus calcanei inhæreant, ad oſtium usque vaginæ detrahit obſtetricans. Cum corpuſculum non ſequeretur, ad junctos pedes laqueus firmatur, alteraque manu trahitur, dum dextra, in utero latens, caput repulit. Inde ſolutis pedibus, remota faſcia, ad hypogaſtrium, circumpoſito pedibus linteo, puella deducitur: deducta & ſupina, prehenſis una manu lumbis, altera pube, verſus parientis latus dextrum vertendo, in addomen reponitur. Valide licet repoſitam traheret operator, derivare tamen caput, pelvis ſolitum fere obſtaculum, & tenſiſſimus umbilici funis, impediverunt; quare dextra ſua manu ad perinæum ſubeunte dextrum fœtus brachium, ad ſiniſtra matris exporrectum, fruſtra deturbare tentavit, facile eodem ſiniſtræ manui obediente, cubitum arreptæ: ſimilis operatio majori negotio dextra manu pone pubis oſſa facta eſt. Ne ſic quidem caput ſequitur; quare dextra operatoris manu occiput primum modice deprimitur, porro humeri prehenduntur, dum ſiniſtræ bini digiti, ori injecti, faciem, ad ſiniſtra matris converſam, ita inflectunt, ut elaberetur caput. Mox a partu ſine tracto ſpiritu parum puella thoracem

racem agitavit, elapſoque minuto horæ, cum ſanguinis ipſi aliquid ex fune perſciſſo ſubtractum eſſet, vagitum edidit, copioſumque e naribus mucum rejecit. Bene puerpera valuit. Mox a partu uterus placenta, parietis poſterioris medium fere occupante, liberatus eſt.

EPICRISIS.

1. Rariſſima & mira partus ſpecies eſt, cujus ſimilem obſervationem legiſſe non meminimus. Culpa procul dubio fibræ uteri motrices, ſingulari modo cervicem ejus deturbantes, ſub totius corporis uteri mora, non carent. Quid enim irregulares fibrarum motricium ſpasmi non faciunt? Capitis ſane & liquoris amnii perpetua quies, quieſcens uteri corpus arguit, ſola agitata cervice. Cum in naturali partu aliove delapſa fœtus pars os uteri premit, brevius hoc tenuiusque ſenſim dilatatur: cum verſus ſolam cervicem ſpasmorum virtus impenditur, in omnes dimenſiones ejusdem fibræ diſtrahuntur, ſimili fere modo, quo ore lingua exſeritur. Recti forſan inteſtini prolapſus, ex cauſa ſpaſtica natus, ad latus deſcripto cervicis prolapſui locari poteſt. Quid quod in herniarum ortu ad ſimilem ſpaſmum reſpicere debemus. Minime in intelligendo phænomeno aſcenſum negligere debemus ſpontaneum, poſtquam deſiit dolor. Naturalis procul dubio fibrarum cervicis actio, altera illa ſpaſtica debilior, in integrum rem reſtituit, cum virtutem ſuam, ſub ſpaſticæ actionis quietem, recepit. Specimen memorabile contrariarum in fibris motricibus actionum, naturalis retrahentis, & morboſæ deturbantis. An ipſæ fibræ cervicis, ſub illa morboſa actione, elongantur, diductæ a ſolis quibusdam transverſis contractis? Sed arctior hoc modo canalis cervicis factus eſſet, cujus tamen, cum deſcenderet, diametrum non minus, quam longitudinalem axin auctum animadvertimus. An cum remittunt dolores, fibræ orbiculares, conſtrictæ contrahunt, attrahuntque longitudinales; ſub dolorem autem a longitudinalibus diducuntur orbiculares, ipſis in rectitudinem rurſus exporrectis? Cf. HAMBERGER. *Phyſiol. Medic. Cap. III. §. LXXXIII. ſeqq.* An ſanguinis influxus diduxit? Hic

quidem

quidem ſub partu tumoribus genitalia inflat variis, aſt per intervalla, & ad dolorum rationem, expellere partum nequit; conſtantibus circuli legibus ſubjectus? An ſtricta pars uteri ſuperior & deſcendens ſecum ducit cervicem laxam & reſolutam, velut frequenter unius partis laxitatem obſervamus, cum vicina ſtringitur?

2. Conſuetus uteri prolapſus in partu non adeo infrequens eſt. Solent autem cum cervice uteri caput, vel alia quæcunque pars prævia, & amnii liquor ſimul depelli; quo caſu uterus, ut opinamur, delabitur, quod illis partibus innixus ad aperturam pelvis ſuperiorem non retineatur. In partu ſane naturali contrariæ quaſi cervicis ovique vires ſunt: quum ovum deprimitur, fibræ uteri longitudinales, orbicularibus orificii copioſiores, has ſurſum trahunt, ipſis ſuper ovo, velut ſuper trochlea quadam, motis; ſed eædem fibræ longitudinales, attracto fundo, depellunt ovum. Cum in partu uterus prolabitur, juxta cum ovo cervix, neque à pelvi ſuſtentata, neque morem gerens fibris longitudinalibus, ad ſinum tendit. Certam opem ferimus, quum cervicem, ut longitudinalium fibrarum vim experiatur, appoſitis digitis ſuſtinemus, refundimus capitique apprimimus, grata parturienti medela, reſtituto nempe naturali cervicis habitu. Dolet profecto, quidquid præter naturam tenditur. cf. RIECKE *Unterricht für die Hebammen. Sect. VIII. p. 71.* Vix opus eſſe puto, ut cervix ipſa pro tranſitu fœtus findatur, velut, non ſine ſperato ſucceſſu, fecit D. CHEMIN apud VANDREMONDE in *Recueil periodique. T. VIII. aout. 1758. n. 5.* Neque ſemper capitis tractio manualis requiritur, ſed ſpontaneum partum, dum os uteri firmamus, præſtolari nobis licet. Ad illam encheireſin mox confugit FIELDING OULD *Tr. of Midwifry p. 89. ſqq.* In graviori autem prolapſus caſu, quo oſſi cuidam prævium caput inhæret, & in orificium parum dilatatum non deſcendit, pergere manus operatoris in uterum, dimovere caput, velamenta, ſi opus eſt, lacerare & pedibus educere fœtum debet.

3. Verſionis opprobrium (paſſim in ſuperioribus obſervationibus indicatum) denuo notatum eſt; magni nempe capitis in pelvis anguſtiis mora atque adeo fœtus ex preſſo fune periculum.

AD

AD SOLEMNEM PANEGYRIN

PRAENOBILISSIMORUM DOCTISSIMORUMQUE MEDICINAE CANDIDATORUM

HENRICI DANIELIS WINIKER

GOTTINGENSIS

CHRISTOPHORI DANIELIS STERNBERG

GOSLARIENSIS

DANIELIS PHILIPPI ROSENBACH

MÜNDENSIS

IOHANNIS DAVIDIS LAPEHN

PETROPOLITANI

POST HABITA ACADEMICARUM DISPUTATIONUM SPECIMINA

DIE XVIII. SEPT. MDCCLVIII.

IN TEMPLO ACADEMICO

SVMMIS MEDICINAE HONORIBUS ORNANDORUM

HUMANISSIME

INVITAT

DECANUS ORDINIS MEDICI

I. G. R.

PRAEMISSIS

DE

VLCERIBUS UTERO MOLESTIS

OBSERVATIONIBUS.

DE ULCERIBUS UTERO MOLESTIS.

Velut congeſtiones puris phthiſicæ in omnem corporis ſedem abſcedere ſolent, ita ipſum etiam uterum exedunt atque in vicinia ejus ſtagnant, cum ſymptomatum phthiſicorum ſolito ſodalitio. Specialior iſtiusmodi ulcerum deſcriptio, plura congeſtionum purulentarum momenta illuſtrans, non inutilis eſſe mihi videtur.

OBSERVATIO I.

ULCUS UTERI ET RELIQUORUM PELVIS VISCERUM.

Vetulæ ſexagenariæ ſaltem & phthiſi mortuæ lenta macilentum cadaver eſt, & pertenuibus muſculis vixque ulla pinguedine tectum. Cauſſam extenuationis inveni in *Ulcere magno*, quod medium inter inteſtinum rectum, uterum & vaginam ſpatium occupat. Eroſit vicinas ſedes, dimidium *vaginæ* corpus idemque ſuperius, inferiorem & poſteriorem *uteri* regionem, totam nempe cervicem ad corpus usque, ſuperſtite modo exigua cavi parte & eroſo anterioris plani faſciculo, longam *inteſtini recti* portionem, quin ad anteriora in ipſam urinæ *veſicam* penetravit. Duræ & calloſæ ſunt partes reſiduæ. Ipſum uteri corpus durum fundusque inflammatus exiguum abſceſſum comprehendit. *Tubarum* amplarum ex utero origines obſtructæ ſunt & concretæ. In dextro latere *ala peritonæi* per lacinias cum ovario cohæret; in utroque latere utero accreverunt ovaria; laciniis etiam productis rectum inteſtinum poſteriori uteri ſuperficiei nectitur. Solito vetulis more parva ſunt *ovaria*, dura, veſiculis orba, rugoſa, cum profundis cicatricibus, ſiniſtrum phaſeolo

ſeolo

ſeolo paulo majus, dextrum fere ſphæricum, diametri quaſi pollicaris, ſubſtantiæ albicantis, cui materies pinguis v. purulenta immixta eſt. Reliquorum *viſcerum* habitus ætatem chronicumque morbum arguit. Parvum *hepar* eſt, durum atque cinereum; flava bile modice plena *cyſtis*; *lien* parvus & inciſus; duriuſculum *pancreas* & flaveſcens; dimidiam *dextri renis* molem *ſiniſter* æquat; renum canales, qui ad pelvim ducunt, multum ampliati; *inteſtina* pallida & aëre inflata ſunt; ſimilis *ventriculus* magnus in hypochondria usque dextra expanditur; aliquot in ambitu exitus recti verrucæ ſunt. *Pulmones*, ut ſolent, ſpongioſi ſunt & peripneumonici, dexter pleuræ parum adhæret, liber ſiniſter eſt: uterque *Thorax* aliquid liquoris comprehendit. Similis fere obſervatio legitur apud FR. RUYSCH. Obſ. Anatom. Chir. obſ. XII. p. 14.

OBSERVATIO II.

ULCEROSA CIRCA UTERUM RECEPTACULA.

In alia femina, quæ ſemel partum edidit & trigeſimum ætatis annum non multum ſuperavit, phthiſi pariter mortua, ſequentia *cava ulceroſa* deprehendi: α) inter inteſtinum rectum & uterum, verſus vaginam, in loco inferiori totum clauſum; β) maximum & profunde deſcendens, ſupra uterum in dextro latere; γ) minus in ſiniſtra ſede. Inter duo hæc cava medium ſeptum eſt, ipſa autem verſus abdomen ita aperiuntur, ut illuc pus poſſit effundi; δ) magnum, totum clauſum, vaginæ vicinum, in infima ſede dextra, flaveſcentem liquorem gelatinoſum comprehendens; ε) aliud magnum, ſuper uteri fundo, in ſiniſtri ovarii regione, pure plenum craſſo & pingui, ſimili pinguedini ſolutæ; ζ) plura alia exigua, v. g. in regione fundi uterini, tenui liquore gelatinoſo plena.

Cavorum ſ. ſaccorum craſſæ ſunt membranæ & duræ; copioſa tela celluloſa ipſos ſaccos (pc. in no. δ) replet. Præ reliquis

cavum

cavum *ε)* membrana calloſa dimidium pollicem craſſa cingitur, cujus interna ſuperficies tunica quaſi villoſa obducitur aſpera & craſſa: binis in ſedibus deficit hæc villoſa, ſphacelo exeſa, cujus loco nigricantes maculæ apparent. Quæ ſaccis interponitur ſubſtantia, craſſa eſt, ſcirrhoſa, deformis & copioſa, præcipue in ambitu ſuperiori vaginæ.

Durus quidem *uterus*, ſed quoad reliqua cum vagina fere naturalis eſt, niſi quod interna illius ſuperficies aſpera ſit & tomentoſa cum particulis purulentis, verum puris initium arguentibus: neque etiam in trianguli formam illa ſuperficies ducitur, neque labium anterius, ut alias ſolet, longius eſt; quatuor potius lineis ultra anterius dependet poſterius. Ex utero utrinque aperiuntur *tubæ*, ſcirrhis implantatæ & in ulteriori decurſu cum ſcirrhis confuſæ. Immutata ſcirrhos penetrant *ligamenta teretia*. *Ovarium* dextrum immutatum in ſcirrhis latet; ſiniſtrum autem cum ſcirrhis confuſum diſtingui non potuit.

Cuncta in *abdomine* cohærent; hepar v. g. ad peritonæum diaphragmatis, cum ſubjacentibus viſceribus, omento & colo paſſim; ipſum craſſum omentum ubivis cum ſubjacentibus inteſtinis; lienis ſuperficies convexa cum peritonæo; in loco anteriori parum inter ſeſe inteſtina; omentum & inteſtina cum ſuperioribus ſaccis purulentis &c. Ex liquore purulento totum abdominis cavum inundante pondereque ſex libras ſuperante cohæſiones factas eſſe facile liquet.

Cæterum nil memorabilis in ventriculo, inteſtinis, pancreate & *hepate*, quod fuſcum magis, quam rubicundum eſt, obſervavi. *Bilis* modica quantitas eſt, fluidæ, male olentis, ingrato colore tinctæ, radici curcumæ ſimilis. In *lienis* magni celluloſa, qua cum peritonæo cohæret, albicans calculus, poroſus, aſper, fere ellipticus locatur ponderis gr. XXXV. diametri. 6. lin. & 3. lin. ſimilis ſicco calcis arenatæ fruſto. An ortus ex pure ſpiſſato? *Pulmones* etiam laciniis & immediate pleuræ adhærent. *Lumbricus* in œſophago latuit.

OBSERVATIO III.

ENORME ABDOMINIS ET UTERI A GRAVIDAE PERCUSSIONE ULCUS.

Hiſtoria morbi.

Plebeia femina, quæ felicem partum aliquoties ediderat, triginta annis ſuperior, iterum concipit ſine peculiari per graviditatem ſymtomate, donec rudibus à marito verberibus excepta fuerit; à quo tempore abdominis tumor præter morem ita ſenſim inflatur, ut ultimo menſe ipſa æque ac obſtetrix gemellos præſagiverit. De inſolito à preſſione abdominis incommodo & dextri lateris dolore tunc querebatur. Felicem tandem partum edit & ſine peculiari difficultate placenta extrahitur. Parciſſima à partu lochia mox areſcunt, expanſum manet abdomen & octavo à partu die (quum primum viderim feminam) circumſcriptos tumoris, quales uteri eſſe ſolent, terminos tango ſupra os pubis. Dolet præterea tumoris regio reliquaque inflammati uteri ſigna notantur, febrilis ardor, capitis dolor, agrypnia, frequens, pleniuſculus duruſque pulſus &c. Quæ adhibentur in morbum molimina, clyſmata, leniora evacuantia, nitroſa aliaque temperantia, in pede ſemel, in brachio bis adminiſtrata venæſectio, felicem morbi deſtructionem pollicere videntur, ſublatis maximam partem ſymptomatibus, ſubſidente & ad pubem deſcendente tumore: aliquid etiam tenacis humoris & fila trahentis e genitalibus profluit. Aſt elapſo octiduo quaſi altero brevis felicitas cum graviori ſcena commutabatur. Tumet iterum abdomen in tympani ſpeciem, omneque umbilici veſtigium deletur; debilitatur pulſus frequentior, aſpectus fit horridus, oculi torvi ſunt, facies hippocratica & collapſa, prominet naſus acutus, lingua ruberrima cum albo muco, anxietates præcordiorum junguntur, reſpiratio gravis, anxia, ſuſpirioſa, cum graviſſimo ponderis in thorace ſenſu, agrypnia perpetua, decubitus incommodus & inquietus, localis in abdomine dolor, nunc in latere dextro, nunc in ſiniſtro; de ſuſur-

ru

ru capitis queritur; urinæ & ſcybalorum fontes obſtructi ſunt. Iungitur ſenſim pedum œdema, hydropis ſimulacrum, dolent pedes, prior dexter, poſterior ſiniſter. Tandem femur ſiniſtrum fit lividum, remittit ſuſurrus in capite, linguæ habitus hepati cuidam ſimilis fit, in ambitu ruber & ſplendens, in dorſo pallidus, ſiccus cum ſpiſſato in membranas albo muco. Moritur peripneumonica, finita quinta à partu hebdomade.

Sectio Cadaveris.

Facile ex deſcriptis ſymptomatibus ad inflammationem uteri & inde natam ſuppurationem ſuſpicio devoluta eſt, quare mox poſtridie inciſis abdominis expanſi cute & muſculis deprehendi 1) *Puris* copiam 4. libras ſuperantem. Innatans ſuperius pus tenuius eſt & modice rubellum; quo inferius eo craſſius luteumque magis; fluctuat in ampliſſimo quodam ſinu, inter abdominis muſculos & anteriorem uteri ſuperficiem medio, à peritonæo formato abdominisque muſculis; qui ſinus cum utero in pelvim ad ſuperiora vaginæ deſcendit, inde à ſede, umbilico ſuperiore, omnem abdominis latitudinem occupans, anguſtiorque in ſuperiori loco, quam inferiori. Omnem iſtius receptaculi ambitum ſpiſſati cruſta puris, velut tenuioris ſcirrhi, veſtit, cum maſſis gelatinoſis, tremulis, rubellis, variæ molis, ex cruſta elatis. Pus ipſum tenax eſt, gelatinoſum, flaveſcens, male olens. Infra coſtas etiam ſpurias utrinque in abdominis latera cum pure ſinus producitur. 2) Eloto pure ſummopere expanſus *uterus* comparuit, ad mediam inter umbilicum & ſcrobiculum cordis ſedem aſcendens & utrumque abdominis latus contingens, obliquus, in dextrum latus è ſiniſtro modice aſcendens, poſteriorem abdominis parietem tangens, idemque totum fere obſidens. Vicinis viſceribus, ſuperficie nempe poſteriori inteſtinis, maxime colo transverſo & in ſede inferiori recto vicinisque partibus, agglutinatur. Subſtantia ſpongioſa, qualis uteri gravidi eſt, plures purulentos ſinus eosdemque perinſignes, comprehendit, in varias directiones expanſos, in ramos & angulos diviſos, cunctos pure referti-

tiſſimos

tiſſimos craſſiſſimo, tenaciſſimo, parum rubello, conſiſtenti gelatinæ ſimili. Uteri fundus in vicinia ſcrobiculi cordis arcte abdominis muſculis, deleta peritonæi ſpecie, adhæret, & peritonæo colon trausverſum. Qua etiam ſede receptaculum 1) formatur, peritonæum repreſſum & à muſculis abdominalibus ſolutum, ita utero accrevit, ut lateraliter ex hoc procedere videatur & ſeptum utrinque formet, inter cavum abdominis & puris receptaculum, medium, longumque 2-3. pol. utrinque ab utero ad abdominis integumenta. Ultra 3. lin. iſta peritonæi pars (f. ſeptum) craſſa eſt, valida & coriacea. 3) Pone peritonæum, ſive utrumque ſeptum laterale, ad uteri latera totum fere abdominis cavum pure rubello, tenuiori, ſimili fere illi, quod receptaculum anterius 1) comprehendit, pleniſſimum eſt, hocque modo peculiare quaſi receptaculum utrinque formatur. Omnis *puris quantitas 24. libras excedit*.

Inteſtina tenuia æque ac craſſa pleniſſima ſunt lumbricorum, inflammata pleraque vel gangræna vitiata: integrum quidem rectum, non lacerum, ſed gangræna mollitum. In anguſtiſſimum ſpatium pone coſtas ſpurias & transverſum colon inteſtina coacta ſunt. (Quare clauſa per morbum aluus). *Diaphragma* in ſummam thoracis ſedem compulſum eſt, *hepar* totum pone coſtas latet, naturale fere, parum flaveſcens: bile flava *cyſtis* pleniſſima eſt. Cuncta abdominis viſcera concreverunt, inter ſe inteſtina, ſuperficies v. g. hepatis convexa cum diaphragmate &c. Qua hepar ventriculum naturalem & parvum tangit, nihil cohæſionis eſt. Parvi *pulmones* & peripneumonici ſunt, cum effuſo in telam celluloſam ſanguine: *cor* naturale, parcus in *pericardio* liquor.

Epicriſis.

1. Solent ulcera frequentius celluloſa interſtitia, quam viſcera obſidere, tandem licet ipſa etiam vicina in mali conſortium trahantur.

2. Ul-

2. Ulcerum & ſcirrhorum mira utplurimum connubia obſervantur, ſcirrhis ambitum ulcerum cingentibus. Alias, cum ampla ſunt ulcera, ex ſpiſſato pure & preſſa tela celluloſa craſſa & ſcirrhoſa ulcerum cava naſci videntur & ipſa velamenta, velut peritonæum, preſſa & gelatinoſo pure irrorata, craſſeſcere: alias cum ampliores ſunt ſcirrhi & ulcera minora, mucoſo & non apprime flavo pure plena, illi primum mali fomitem procul dubio comprehendunt toti ſolidi, ſenſimque à febris vi cocti & in centro reſoluti, liquoris aliquid colligunt.

3. Natura puris veri gelatinoſa vix unquam latet, docentibus eam maſſulis, majoribus minoribusque, per totum ulcus fluctuantibus; puris ipſius tenacitate naturaque glutinoſa; frequentiſſimo non ſolum viſcerum à puris vicinia coalitu, ſed cellularum etiam, membranarum, laciniarum & ſaccorum natalibus, quæ puri debentur; tenuibus naturali modo membranis in valida quaſi coria craſſeſcentibus. Velut itaque omnes & ſinguli corporis humani liquores per abundantem quandam & à morbis natam ſecretionem, in ſede quadam corporis, qua nempe ſecernuntur, colliguntur & excernuntur, uberiores congeri *) ſæpius ſolent variamque criſin facere, ita halitum etiam celluloſæ telæ critico ſæpius modo in quasdam cellulas uberrime confluere putarem, & ſimpliciter ſtagnantem varias hydropis ſpecies facere, coctum autem ſingulari modo ſolidasque fibras ſolventem ſibique miſcentem, in pus abire ulcera formaturum. Iſte quidem halitus craſſum puris principium largitur, vix tamen verum pus ſine peculiari ipſius humoris nutritii in eandem ſedem metaſtaſi generari mihi videtur; obſervamus enim, lentam corporis conſumtionem in criticum ulcus ſæpe tranſire & viciſſim ulcera nutritii humoris notabilem penuriam facere; obſervamus pariter, feminas phthiſi aptas, primum

*) *Cf. Diſſ. Cl.* GRUND *de Secretione.*

primum maximos infantes eniti, *) dein ubertatem lactis profundere, & tandem ab ulceribus pati, memorabili utique collecti nutrimenti ſerie in embryonem, lac & pus **). Pinguedinem quidem cellulosæ, quam occupat, utique pus ſolvit & ſparſas pinguedinis maſſulas ſæpe comprehendit; ex pinguedine autem puris originem deriuare obſervatis non reſpondet, ſiquidem neque gelatinoſa eſt pinguedinis natura, neque adeo collecta nutrituum humorem conſumit, neque in ſolis pinguedinis dominiis pus naſcitur, ſed in macilentiſſimis etiam viſceribus, hepate, pulmone, cerebro &c. Id unicum obſervationes largiuntur, non adeo remotam pinguedinis naturam facere, ut puri hæc facile remiſceatur ſoluta, & puris copia ejusdem ſecretio minuatur penitusque tandem ceſſet.

4. Varios ſaccos ſeptaque ulcera formant & longe ſæpius in tela celluloſa pergunt, inter quos alii cœci ſunt, alii vicinis communicant. Exterius duri, ſcirrhoſi calloſique eſſe ſolent; molliores, friabiles, aſperi & cellulares quaſi ad ſuperficiem internam. Ita quidem ex pure ſenſim ad exteriora ſpiſſato magis & indurato ortum habere videntur, velut etiam maſſæ gelatinoſæ ex ſcirrhoſis ulcerum receptaculis elatæ ipſisque continuæ docent. Ipſius etiam puris pars craſſior fundum petit, innatat tenuior.

5. Inflammatio variorum viſcerum & gangræna cum ægri detrimento ulceribus internis ſæpe junguntur.

6. Quodſi quadam corporis ſede magnus fuerit fons purulentus, puris procul dubio partes in ſanguinis maſſam receptæ denuo in alias corporis ſedes ſparſim deponuntur. Ita vidi in ſiniſtro thorace viri,

*) *Et liquore amnii abundare cf.* LEVRET *Mem. de l' acad. d. Chirurgie. P. VIII. p. m. 148. cf. & Diſſ. de temporum in graviditate & partu æſtimatione. §. 10. p. 41.*

**) *Cf. Diſſert. de tempor. in gravidit. & partu æſtimat. §. X.*

viri, cui crus dextrum chirurgica arte reſectum & abundans ſuppuratio nata erat, lymphæ puriſque ſine ulcere ubertatem.

7. Inſignis ſæpe puris quantitas, 24. ſaltem librarum in obſ. III., formatur.

8. A percuſſione abdominali fontes procul dubio puris in obſ. III. formati & à partu exaſperati ſunt.

9. Nervis & vaſis pure preſſis, varia extremorum inferiorum mala oriuntur, (cf. obſſ. de partu labor. Obſ. VIII. Epicr. 1) in illo præcipue latere, quod uterus replet.

OBSERVATIO IV.

ULCERA RENIBUS CIRCUMFUSA ET A PARTU EXASPERATA.

Hiſtoria morbi.

Femina robuſta, plebeia, viginti ſex annos nata, primum uterum gerens, gonorrhœa, venereis vaginæ granulis aliisque exitioſæ labis immunditiebus fœdatur. Partum quidem naturalem, ſed tentum, ad decimam octavam horam protractum & ita dolentem, ut clangoſos ejulatus ederet, enixa eſt. A placentæ ſolutione ſanguis largiſſime profluxit; expanſus, non contractus, ſuper oſſibus pubis ſubſtitit uterus, lenioribus abdominis compreſſionibus manualibus contractus parum obediens. Cæterum feminæ frequens pulſus & inæqualis nunc tenuis eſt, nunc plenior; ipſa præ ſumma debilitate vocem edere nequit. Quare ſubinde aliquid aquæ calidæ & & vini propinatum eſt & frigida adſperſa. Tertio à partu horæ quadrante elapſo ex contracto magis utero parcius ſanguinis flumen manavit, pulſus plenior factus & ſanguinis thrombis vagina repleta eſt. Dum inde femina in lectum ducebatur, animo linquitur, convellitur,

vellitur, atque in lectum translata vinoque adſperſa ſenſim reficitur. Semper abdomen dolet & preſſum diros cruciatus movet. Senſim quidem melius valet, ſed per plures à partu horas ſanguinis thrombi effunduntur. Interea temporis cataplaſmatibus abdomen emollitur & emulſionibus amygdalinis & papaveraceis interiora demulcentur. Poſtridie melius valet, abdominis dolor mitior ad externa genitalia transfertur, multum calentia, ardentia & linteis frigida aqua ſuccidis levata, vires inde cum lochiis recte profluentibus confirmantur & omnis uteri genitaliumque tumor evaneſcit. Remanent tamen varia venerei mali ſymptomata chronica. Altera, à priore quatuor annos diſtans, graviditas perpetuis adverſæ valetudinis moleſtiis turbatur febrisque lentæ irregularibus ſcenis, quæ tamen alternos fere dies febrili frigore diſtinguunt: frequentiſſime ſimul abdomen dolet, cum ſpuriorum dolorum non raris larvis; ſubinde etiam cum mammarum cruciatu multum ſeri eructatur, parciſſimis ſtriis flaveſcentibus remixti. Sequitur tandem partus ultra quintam horam non protractus, naturalis, cum vociferationibus prioris partus ſimilibus. A partu peſſime ægrotat, de lateris dextri dolore conqueritur; durum etiam elatumque manet abdomen, duritie, elevatione & dolore inde à partu ad mortem creſcentibus & in dextro magis, quam ſiniſtro, latere, infeſtis. Aliquid lochiorum primis diebus fluit, quæ tertio die in tenuem ichorem fœtentem convertuntur. Junguntur diarrhœa, ſitis, vigiliæ & cum perpetuo cruciatu anxietates. Quarto à partu die durus, plenus & frequens pulſus eſt, multum relaxata, mollis & alba lingua, leviſſimum etiam ſine acerbo cruciatu tactum non fert abdomen. Tandem reſpirationis additur ſumma difficultas, abdominis folli ſimilis agitatio, ſpumæ ex ore rejectio, faciei ſpaſticæ motiones, frequens durus & intermittens pulſus, ipſaque mors, hora quinta veſpertina, qua etiam partum ediderat, malorum finem facit.

Sectio Cadaveris.

Sectione poſtridie inſtituta ſequentia manifeſtata ſunt. 1) *Abdomen* alte inflatum & notabilis ſuper inguine dextro durities, qua

etiam

etiam ſede de dolore per omnem graviditatem & puerperium conqueſta eſt. 2) Inciſo abdomine effluit *pus* tenue & flavum, quod viſcerum interſtitia replet & libram pondere multum ſuperat. 3) Aëre tument *ventriculus & inteſtina;* in latere ſiniſtro fundus ejus prominet, quorſum etiam totum omentum tractum eſt, integrum fere pone inteſtina latens, velut etiam transverſum colon tenuibus tegitur. Inteſtina modice inflammata non cohærent. 4) Griſeus & cinereus *hepatis*, permagni & in vaſis ſanguinem tenacem atque fluidum continentis, color exiguis maculis rubris & lividis variegatus. 5) Expanſa *veſicula bilis* multum continet flavæ, tenuis cum copioſo ſedimento arenaceo & pluribus *calculis* variæ molis, irregularibus, quorum parvus ductui cyſtico inhærens impeditam bilis viam, licet non penitus occluſam, facit. 6) *Lien* molliſſimus & carnei coloris. 7) Multum inflammatum *meſenterium*. 8) *Renes* duri & pallidi. 9) Primam autem attentionem meretur *tela celluloſa, utrique reni circumfuſa*, laxa & putris, multum inflammatione & gangræna fœdata, cum pluribus pinguedinis faſciculis reſiduis. Comprehendit eadem puris abdominalis fontes, uberiores in latere ſiniſtro quam dextro, quod viciſſim ex gangræna magis corruptum eſt. 10) Ultra quatuor pollices, cum veſica, *uterus* pelvi eminet, cum tubis & ovariis haud parum inflammatis. 11) Multum liquoris rubelli *pericardium* continet, & *cor* naturale, durum, modicæ molis. 12) *Pulmones* lividis petechiis diſtincti; dexter fere totus adhæret, ſiniſter modice parte ſua poſteriore, qua etiam totus lividus eſt.

Epicriſis.

1. Chronico ulceri abdominali ſupervenientes ad partum dolores viſcera agitant, puris receptacula premunt, ſanguinemque commovent: ita inflammatæ partes ſenſim gangræna emolliuntur, vicinis viſceribus cum certa matris morte communicata, ſive natura, ſive ars partum expediverit. cf. Obſſ. de partu labor. Obſ. VII. Diſſ. de non damnando uſu perforatorii. Obſ. IV.

2. Ex diuturnis labis venereæ, neque ſatis in tempore ſanatis, afflictionibus, habitum ſcrophuloſum, ſcirrhoſum & purulentum induci conſtans obſervatio eſt.

3. Quæ copioſum ex utero ſanguinem profundunt, ſuppuratæ facile fiunt.

4. Dolens multum & preſſionis à partu impatiens abdomen tumens elatumque gangrænæ fientis ſignum eſt, quod arida ſenſim lochia confirmant reliquaque ſigna mala, vigiliæ, anxietates, ſpiritus ſuſpirioſus, pulſus durities, ſpaſticæ agitationes &c. Quoties etiam id mali contingit, inflatus à partu & ſpongioſus uterus, non contractus, ſuper pelvi ſubſiſtit.

5. Hepatis vitia & bilis, cum cyſtidis calculis, purulentis morbis utplurimum junguntur. cf. Obſſ. de part. labor. l. c. Diſſ. cit. & Progr. de phthiſi infantum pulmonaria. Obſ. 3. *) Subinde etiam lumbrici in inteſtinis reperiuntur.

6. Peripneumonicus pulmonum ſtatus cum maculis petechialibus mortis à gangræna dux eſſe ſuevit.

*) HIPPOCRATES *L. de locis in homine. n. 18. Quum bilis in thoracem fluxerit, ſuppurati fiunt itemque tabidi.*

DISSER-

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
UTERI SCIRRHO

QUAM
PRAESIDE
I. G. R.
DIE XXIX. AUG. CIↃIↃCCLV.
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT
IOANNES GEORGIUS CHRISTIANUS
HIRSCHFELD
ALTONANO-HOLSATUS

DE
UTERI SCIRRHO.

I.

Humorum ex ſanguinis maſſa diverſorum ſeparationem ſanguinis integritatem conſervare, ejusdem mobilitatem promovere atque depurgata viſcera aperire, notiſſimum eſſe exiſtimamus. In ſano ſaltem morboſoque corporis habitu vitæ ſanitatisque & præſidia & vindiciæ ex variis ſegregationum generibus depromuntur. Sanum eſſe corpus judicamus, cujus ſecretiones omnes non interrupto ordine perficiuntur: ægrum cum ſanitate in gratiam rediturum eſſe, vel ſaltem præſenti morbo liberatum iri ſperamus & expectamus, cum morbi vehementiam ſecernentis cujusdam organi officia auctiora clarioraque ſolvunt.

II.

Neque tamen pares in morbis iſtarum expulſionum & expeditiones & dignitates eſſe conſueverunt. Quorum morborum chronica magis indoles eſt, frequentioribus repetitisque illiusmodi ſegregationibus, ut abigantur, egent, quin perennantibus, quique ob morbi vel gravitatem, vel pertinaciorem conſuetudinem neceſſarii œconomiæ motus ſine ſanitatis vitæque diſpendio non ſiſtuntur. Principatum vero omni tempore ſolventium morbos iſta organorum tenuerunt, quæ ex ſano etiam corpore excrementitios ſuperfluosque humores eliminant: Cutem renesque intelligi vel nemine monente liquet. Longe inferiora ſunt reliqua viſcera, pejoris morbi indices, ſalivales v. gr. lacrimalesque glandulæ, tonſillæ, uvula, linguæ & faucium & narium membranæ mucoſæ, aurium folliculi ſebacei, tra-

cheæ & pulmonum interiores tunicæ, hepar, pancreas, digeſtivorum reliqui liquorum fontes, uterus, vagina, ſpermatis organa.

III.

Id vero beneficii omnes & ſinguli ægri non accipiunt. Morbi vis, indoles maligna, virium naturæ ſolventium, moventium, propellentium, expellentiumque ſegnities, debilitates, aliaque vitia organorum localia, turbulenta, inordinata, naturæ benigna molimina frænans, aliterque peccans medicatio, ægrum vel peſſundant, vel in ipſa organa variis formis varioque eventu colluvies deponunt, non propria ſolum mole inimicas, ſed etiam fœcunditate. Et ſolent iſti quidem in organa abſceſſus morbos chronicos æque ac acutos, nunc ſine alio molimine intermedio inſequi, nunc ex clauſis ſolventium excretionum rivulis colligi.

IV.

Omnibus quidem & ſingulis humani corporis viſceribus organisque ingratæ iſtæ acceſſiones adjunguntur, quin ex uno in alterum viſcus migrando derivantur. Secernentia viſcera, motus, ſenſus, facultatisque percipiendi organa, corpus firmantia oſſa, verbo, quælibet corporis pars quandoque hoſpitio eſt, & pro ſuo habitu, proque morbi hoſpitisque indole, ipſum hoſpitem fingit in inflammationes, cancros, ulcera, caries, ſcirrhos, carcinomata, calculos, minimarum partium, corporis ſtaminum, ſi ita volupe eſt, ſenſibus medici non percipiendas, læſiones & ex ſolis effectibus cognoſcendas.

V.

Non infrequens, inter alia viſcera, titubantia iſta morborum molimina uterus experitur, maxime ſi a vi morbi, vel alia quacunque cauſa propriæ vires fractæ ſint, ipſeque male affectus. Sæpius tamen externa etiam violentia uterum vulnerando comprimendoque lædens inflammansque varias depoſitiones in eundem allicit, triſti

partus

partus difficilis *), & in eodem partu perverſæ medicationis chirurgicæ exemplo.

*) *Conf.* MAURICEAU *Malad. des femmes groſſes &c. T. II. Obſ. 387. & 418. Utroque in caſu difficilem partum excepit obſtructio uteri ſcirrhoſa, indeque ſterilitas nata eſt. Conf. &* HIPPOCRATES *de natur. muliebr. S. II. §. 31. & de morb. mulier. L. II. S. II. §. 45. ed. Marin. Patitur autem hæc (loquitur de femina utero ſcirrhoſo vel indurato laborante) ex partu, & frigore aut mala diæta & aliter.*

VI.

Quæ violentam uteri læſionem excipiunt depoſitiones, inflammatæ indolis ſunt & in quam inflammatio tranſit. Quodſi autem a morbo aliquid in uterum abſcedat, id modo inflammatur, modo lentius ſine prævia inflammatione colligitur.

VII.

Utroque modo in utero ſcirrhus naſcitur, nunc integrum uteri corpus, nunc unam alteramve partem, fundum, cervicem aliamque occupans. Frequenter omnino uteri inflammatio, *) non reſoluta, non ulceroſa, ſtimulo ſublato & acriori ſentiendi facultate, ſedatur, febris, quam inflammatoriam vocant, ceſſat, dolor remittit, minimorum vaſculorum veſicularumque obturamenta figuntur, propellentes vaſculorum vires fatiſcunt, ſpiſſatur lentor, dureſcit, novos humores ſibi nectit, in ſimilem lentorem figit, fœcundaque lentoris officina paratur, uterum ſenſim expandens. Sæpius etiam, quæ hactenus profluebat, colluvies, qualis eſt fluoris albi, quin menſtruorum, lochiorum, partum æque ac abortum **) inſequentium, aliarumque uteri hæmorrhagiarum ***), in utero reſtagnat, craſſeſcit & in ſcirrhoſum tumorem indureſcit. Neque nunquam morbi chronici alius ****), inſigni ejusmodi colluvie nondum levati, virtus tandem in uteri ſcirrhoſum tumorem, eo derivatis contractionibus fibrarum ſpaſticis atque humorum impurita-

tibus deſævit. Quin utero cum reliquis glandulofis vel ſecernentibus viſceribus peculiare quoddam ſcirrhorum formandorum onus impoſitum videtur.

*) *Conf.* AETIUS *Tetrabibl. IV. Sermon. IV. Cap. 84.* & PAULUS AEGINETA *de re medica L. III. Cap. 68. In ſcirrhum induratur uterus, aliquando derepente nulla prægreſſa cauſſa: plerumque vero inflammatione prægreſſa, & neque ſoluta, neque in abſceſſum transmutata.* RAZES *ad Manſorem diviſionum L. I. Cap. 85. Huc etiam ſpectare videtur* FABR. HILDANI *Obſ. Cent. I. Obſ. 66.*

**) *Scirrhorum uteri ex partu & abortu mentionem facit* MAURICEAU *Malad. des femmes groſſes &c. T. I. L. III. Cap. XII.*

***) *conf.* MAURICEAU *l. c. p. 425. & T. II. Obſ. 112.*

****) *e. g. venerei. cf.* PEU *Prat. d. accouch. p. 562. & obſervatio, quæ infra deſcribitur, prior.*

VIII.

Uteri ſola debilitas, quæque ex facili inordinatis motibus ſpaſticis afficitur, ſcirrhi effigiem quandoque format. Frequenter autem imprudens medici officium *), frequentior juſto in morbo uteri inflammato, vel in puerperio venæ ſectio, refrigerantium repellentiumque uſus non conſideratis naturæ viribus, non æſtimatis benignis in criſin moliminibus, nulla temporum ratione habita, ſimilis in fluore albo aliisque corporis expurgationibus calidorum, ſpiſſantium repellentiumque uſus, neglecta in morbis per ſecernentes canales evacuantia, aliique id genus medici & diætæ **) errores idem præſtare valent, titubante ſubinde in ſcirrhum abſceſſumque molimine.

*) CLAUD. GALENUS *de arte curativa ad Glauconem L. II. Cap. 4. apprime notat, ſcirrhos frequenter omnino ex Medicorum*

eorum imperitia oriri, quando eryſipelata & inflammationes vehementer adſtringunt & infrigidant.

**) *Conf.* HIPPOCRATES *ſupra ad* §. *V. not.* (*a*) *excitatus.*

IX.

Qui inflammationem excipit ſcirrhoſus tumor ex dimiſſis ſine refectionis a morbo ſanitatisque vigore inflammationum ſymtomatibus, quin ſubſiſtente potius lenta febricula cum ponderis in pubis regione ſenſu *) dignoſcitur. Lentior morbi decurſus levioraque ſymptomata lentum potius tumorem, quam ulceroſum, natum esſe, medicum docent. Scirrhum etiam matricis ex ſuppreſſo quodam profluvio vel morbo in uterum migrante natum generaliora hecticæ febris cum locali morbo ſigna manifeſtant. Ceſſat enim fluxus, minuuntur, quin ſenſim, ſi totum uterum ſcirrhus occupat, menſtrua ceſſant **), quæ in aliis (cum pars nempe uteri ſcirrho vitiatur) parciori ſaltem flumine & cum dolore effunduntur, extenuatur corpus ***), ad labores ſegnius eſt *), languet modo appetitus, modo nimis viget, hecticæ febris, typicæ erraticæque **) ſchema obſervatur, ſæpius etiam os fœtet ***), quin ulceroſum eſt, pubis ſenſim regio & hypogaſtrica cum quodam graviditatis ſimulacro elevatur, explorantique abdomen manui durus tumor reſiſtit: ita vicinæ regiones comprimuntur, dolens *) regionis ſuper pubem hypogaſtricæ expanſio fit, quæ ne quidem manus quandoque tactum ferre poteſt. Inflammantur nonnunquam vicinæ partes, eædem in gangrænam vel ſuppurationem ſolvuntur, quin languor inferiorum partium, paralyſis ipſaque gangræna inſequuntur. Debile enim a lenta febre corpus non ſolum tardius movetur, ſed & arteriarum, venarum nervorumque compreſſiones inferiorum extremitatum munera, nutritionem vitamque pellunt.

*) RHAZES *l. c. ſigna tradit: Sedationem caliditatis febris cum reſiduo gravitatis & magnitudinis in pectine, ut vel tactui quandoque appareat.*

**) *Conferri merentur eſſata* HIPPOCRATICA *de ſuperfœtatione §. 13. Durus fit uterus a calloſitate : his menſes non apparent, aut pauciores, quam oportet, & per longius tempus apparent. De natura muliebri S. II. §. 30. & 31. Si indurati fuerint uteri, menſes occultantur. De morbis mulier. L. II. S. II. §. 45. & 46. Si uteri velut in callum indurati fuerint, menſes occultantur. Si obduruerint uteri, menſes non prodeunt, ſed pauciores & deteriores, & dolor incidit.*

***) *Conf.* AVICENNA *Can. III. fen. 21. Tract. IV. Cap. 14.*

*) *Conf. ſupra excitati* AETIUS & PAVLVS AEGINETA, *qui ſignum tradit, gravitatem & ægrum motum non ſolum crurum, ſed etiam totius corporis, atque ad actiones obeundas pigritiam adeſſe.*

**) *Conf.* Ill. IO. GODOFR. BRENDELII *Diſſert. de Phthiſeos Hecticæque diſcrimine & ſetaceorum utrobique uſu. Gotting. 1754. paſſim* HIPPOCRATES *de nat. muliebr. l. c. Si indurati fuerint uteri, febris ipſam corripit, ac dentium fremitus. De morb. mulier. l. c. §. 45. & 46. Si velut in callum uteri indurati fuerint febris circumfrigerans corripit, & fremitus & dolor uteros habet, & imum ventrem & laterum mollitudinem & lumbos. Si obduruerint uteri, febris incidit, & rigor circa imum ventrem corripit, & lumbos, & laterum mollitudinem.*

***) *cf.* HIPPOCRATES *Prædict. L. II. S.* II. *§. 42.*

*) HIPPOCRATES *l l. c c. de morb mul. & de natur. muliebr. Si indurati fuerint uteri dolor habet imum ventrem & laterum mollitudinem & lumbos.*

X.

Ipſe uteri tumor ſive ſcirrhus, nunc indolens penitus eſt, nunc modice, cum orificium tangitur, vel abdomen comprimitur, dolet, quibusdam adhuc fibris integris, tenſis & nondum obſtructis, omni-

omnique inflammatione nondum penitus depulſa. Quin ſcirrho ulcus junctum vel in utero, vel in aliis viſceribus *), obſervatur. Cui tumori exquiſitus, ſpontaneus, lancinansque dolor eſt, carcinodes cenſeri debet.

*) *Conſ.* MISCELL. NAT. CUR. *A.* 2. *Obſ.* 254. *p.* 378. *&* *A.* 9. *Obſ.* 126. *p.* 301. *Iſto quidem in caſu ipſe uteri ſcirrhus in meditullio ulcus fovit; in hoc vero vomica teterrimi odoris, pure plena, meſenterium obſeſſum fuit.*

XI.

Pondus in pelvim deſcendere patientes conqueruntur, aliquid peregrini delabi obſervant, maxime cum erecto corpore incedunt, minus cum ſupinæ cubant. Raræ & moleſtæ ſunt lotii excrementorumque excretiones *). In vagina, ſi exploratur, uteri deſcenſus notatur, quin extra vaginam quandoque durus tumensque uterus prolabitur **). Corpus uteri & orificium præter morem duriora tanguntur ***), inæquale præterea tangitur aſperius craſſiusque orificium. Tumet uterus, pelvim integram replet. Viri acceſſum ægrius fert femina. Omnia ſane uteri tumorem loquuntur, inteſtini recti atque veſicæ compreſſionem; ita cur ſegniora ſint iſtarum partium officia liquet. Propter auctum pondus uterus deſcendit.

*) *cf.* RHAZES *&* AVICENNA *ll. cc.*

**) *Hoc utique ſæpiuscule obſervavimus. Huc etiam pertinere videtur Obſ.* RUYSCHII *VII. Obſervationum Anatomico-Chirurgicarum p. 10.*

***) HIPPOCRATES *de nat. mul. l. c. Si indurati fuerint uteri, os ipſorum connivet. Si digito contigeris, comperies os aſperum & digitum non intromittit. de morb. mul. l. c. Si uteri velut in callum indurati fuerint, oſculum exaſperatur. Si vero etiam digito contigerit, os uteri aſperum comperiet,*

&

& ſemper velut callus accreſcit (Optime cum hoc effato conciliari poteſt infra deſcribendus uteri ſcirrhus). Oſculum durum fit, clauditur. PEU *p. 563. Scirrhi initium in cervice ponit.*

XII.

Laborans hoc malo inveterato gravique femina viro nupta vimque ſeminis fecundi non percipiens, ſterilis manet *). Ovaria compreſſa, atque, ſectione teſte, in mali conſortium tracta, exareſcunt, fecundæ veſiculæ ſuccique deſtruuntur. Integris etiam in minori malo ovariis, neque fecundis ex femina ſuccis deficientibus, uterus tamen durus obſtructusque conceptionem fovere, nutrire, continere, cumque cervicem ſcirrhus obturat, recipere **) nequit. In mitiori malo, ubi partem ſolam uteri tumor ſcirrhoſus occupat, & alterum ſaltem ovariorum integrum eſt, fecunda nonnunquam conceptio creſcit atque perficitur: partus autem tempore triſtia præſagia ***) ſubnaſcuntur. Qui enim cervicis regionem ſcirrhoſus tumor occupat, clauſam cervicem ſervando fetumque retinendo partum fieri negat *). Ubi alia uteri regio ſcirrhoſa fuerit, apertura quidem recte hiare poteſt, ſed vicinæ ſcirrhoſæ regioni fibræ motrices & a ſcirrho firmatæ, dum validis laboribus uterus conſtringitur, disrumpuntur, & in abdomen fetus effunditur **). Alias uteri ſcirrhoſa durities, ulteriori extenſioni obſtacula ponens, abortum excitat. ***)

*) HIPPOCRATES *de nat. mul. ll. cc. Si indurati fuerint uteri, non concipit, & de morb. mul. ll. cc. huc & ſpectant ſupra ex* MAURICEAU *citatæ obſervationes ad §. V. not. (a).*

**) *Duplicem ejusmodi caſum recenſet* FABR. HILDANUS *Obſerv. Chirurgico-Medic. Cent. I. Obſ. 65. & 66. Hoc etiam malum explicare videntur, quæ* HIPPOCRATES *diſſerit Libr. de ſterilibus §. 26. de callis oſculum uteri replentibus & extrahendis.*

***) *Cf.*

***) *Cf.* FABRIC. HILDANUS *l. c. Cent. 3. Obſ. 57. Corpus uteri ſcirrhoſum conjunctum cum ſitu perverſo effecit, ut internæ venæ rumperentur, internaque in abdomine hæmorrhagia ſubnaſceretur.*

*) *cf. Hiſtoire de l' acad. Royale des Sciences A. 1705: Obſ. anat. VII. p. 52. ed. Paris. Feminæ parturienti os uteri parum cum aperiretur, tandem laboribus ſuccumbenti fatalis partus fuit. Sectione inſtituta, ſubſtantia glandulosa, utero continua, orificium ita obturatum repertum eſt, ut aliquot modo foraminulis pertuſum fuerit, per quæ menſtruus fluxus exſtillare, ſperma vero ſubire potuit.*

**) *cf.* FABR. HILDAN. *Cent. I. Obſ. 67. Femina per ſex dies quæ fruſtra parturivit mortua eſt. In ſectione uteri pars ſcirrhoſa, ipſe uterus ruptus, & in abdomine embryonis caput comparuerunt. cf.* STALPART VAN DER WIEL *Obſ. rar. Cent. poſt. part. prior. p. 319.* GREGOR. HORSTIUS *Opp. Med. T. II. L. II. Obſ. V. p. 66. Epiſtol. D. Tob. Knobloch. ad Greg. Horſt. it.* BONET. *Anat. pract. T. II. p. 110. cf. & Thom.* BARTHOLINUS *de inſolit. partus viis. cap. 3. p. 21. In feminæ, ex partu difficili, ob pertinaciter clauſum os cervicis, mortuo cadavere ſcirrhum inſignis magnitudinis, a fundo uteri ad os usque pergentem, ipſum uterum ruptum, & infantem extra uterum poſitum invenerunt.* STEPHAN. BLANCARD *Anatom. pract. rational. Obſ. XXII. p. 233. Intra quatuor dies cum non potuiſſet parere femina, e vita diſceſſit: abdomine aperto diſruptus uterus in ſana parte, & infans extra uterum locatus deprehendebantur. Scirrhus vero a fundo ad os alteram uteri regionem occupavit.* MISCELL. NAT. CUR. *A. 2. Obſ: 254. p. 378. Uterus in partu diſruptus eſt propter tumorem uteri durum, cujus cavum ulcus nigrum, gangrænoſum comprehendit. cf. & ejusdem anni Obſ. LXXXV. p. 159. it. A. 7. Dec. 2. Obſ. X. p. 16. ſq.*

***) *cf.* EDMUND. CHAPMAN *Treat. on the improvement of Midwifry. Caſe XXXV. p. 134. ſeqq. Femina ex abortu mortua eſt: aperto abdomine amplus in utero ſcirrhus comparuit.*

XIII.

Menſtruorum rivuli clauſi, & inflata abdominis tegumenta, graviditatis aliquam effigiem æmulantia, decipere prima ſpecie medicum *) poſſent, ni integrum graviditatis ſchema cum ſcirrhoſo habitu comparans e difficultatibus ſeſe extricaret. Gravidis, ut ſpeciminibus quibusdam utamur, citius abdomen tumet, cum creſcente abdominis elevatione ſanitatis integritas, quæ primis conceptionis menſibus quædam ingrata perpeſſa erat, maximam partem redditur. Scirrhi vero primum incrementum, niſi ex inflammatione naſcatur, haud difficulter cognoſcenda, lentum eſt, & perpetim cum abdominis augmento, morboſa hecticæ febris reliquaque ſymptomata creſcunt. Mammarum tumor cum ſero lacteisque ſtriis in ſcirrhoſa non elevatur, embryo non commovetur, perſpicuæ ſatis a medio graviditatis termino orificii uterini mutatæ formæ non ſuccedunt. Cauſæ etiam morbique prægreſſi majus lumen affundunt.

*) *Scirrhum uteri medico pro fetu impoſuiſſe recenſet* MAURICEAV *l. c. Lib. III. Cap. XII. Aliam obſervationem, qua medicus gravidam pro ſcirrho laborante habuit, T. II. Obſ. 286. p. 234. tradit, quæ plura momenta, non inutilia cognitu, complectitur. Similis fere caſus exſtat in* MISCELL. NAT. CVR. *A. 9. Obſ. 126. p. 301.*

XIV.

Illud etiam prætermittendum non eſt, alia ſæpiuſcule præter uterum in eadem ægra labe ſcirrhoſa, aliaque viſcera laborare. Eadem enim, quæ in uterum migrat, colluvies commodam etiam, ſi abundet, ſi nova perpetim generetur, in aliis viſceribus ſedem nanciſcitur, quin ab antiquis viſcerum, chylo maxime ſervientium, vitiis,

tiis, iisdemque frequenter ſcirrhoſis, ſanguinis habitus in primis jam fontibus ita depravatur, ut præter alias eiectiones & in uterum tenax humor peccansque materies evomatur.

XV.

Sua etiam ſponte liquet, quamlibet uteri in ſubſtantia duritiem, quæcunque demum illa ſit, pro ſcirrho non eſſe habendam. In ſcirrho enim colluvies depoſita ſubſtantiam durat, vitiat, inflat, partesque vicinas lædit. Quæ ſine collecta colluvie vel a nativitate, vel ab ætate durities uteri ſubſtantiam compellit, pro ſcirrhoſa haberi nequaquam poteſt. Quis naturalem vetularum in utero duritiem ſcirrhi morboſi titulo dehoneſtabit, & medicamentis impugnabit?

XVI.

Uteri confirmatus ſcirrhus naturæ viribus non obedit, ſed lenta tandem tabe ægram peſſum dat, poſtquam in immenſam quandoque molem *) excrevit, vel hydrops acceſſit **). Imprudenti medicatione excitatus & commotus in dolens carcinoma tranſit, aucto dolore & ſanguinis ſpontaneo fluore per incerta intervalla excuſſo cognoſcendum, reliquisque ſignis, quæ carcinoma produnt. Qui in ſolidiſſimam jam, ſenſu omni carentem, vix amplius organicam maſſam induruit, artis etiam auxilium repellit ***). Ubi vero quædam liberiora vaſa medicamina recipiunt, ubi ſenſu omni uterus nondum caret *), & artis aptum auxilium ubi naturam juvat, impacti quandoque humores ſolvuntur, coquuntur, ex utero diſcedunt, e corpore eliminantur, uterusque ſuis officiis præſtandis idoneus denuo fit.

*) *Vidit* PRAESES *ejusmodi uterum ſcirrhoſum pondere ſuo XV. libras ſuperantem. Uteri XVIII. libras pendentis obſervationem* GERARD. BLASIVS *affert Obſ. Med. Rarior. VII. p. m. 12. Similem deſcribit* REGNER. *de* GRAAF *de mulier. organis Cap. VIII. p. 248. &* MISCELL. NAT. CVR. *A. 1. Obſ. 128. p. 286.*

p. 286. ad minimum tumor XL libras pendebat. Scirrhus VIII℔. librar. cum vera paſſim duritie oſſea, ſimilisque tumor in vagina apud VANDERMONDE *Recueil. P. XI. A. 1759. Octob. Imo in utero veræ oſſificationes naſcuntur. cf. memoires de l'academie de Chirurgie. T. V. de* MR. LOUIS *Obſ. XIII. in qua tamen femina menſtrua cum perpetua ſterilitate ad conſuetam ætatis periodum fluxerunt. Mali originem* REGNERVS *adſcribit relictis vel fetui, vel molæ, vel placentæ putrefactis, eandemque ex materia putrida, quæ uteri cavum adimplevit, & ex abortu ante XXV. annos absque placenta facto, confirmat. Memoratu ſane admodum digna ſunt hucque vel maxime ſpectant, quæ* HIPPOCRATES *in Libr. de natur. mulier. S. II. §. 31. & de morb. mulier. L. II. S. II. §. 45. de origine induratorum uterorum differit, eos nempe oriri, ſi fetus in femina corruptus fuerit putrefactus; vel ſi feminae corrupti menſes computruerint. Quibusdam vero etiam ex partu &c. cf. ſupra not. ad §. V. a).*

**) *cf.* PAVLVS AEGINETA *&* AETIVS *&* AVICENNA *ll. cc.*

***) *Ejusmodi caſus deſcribitur à Cl.* KAEMPF. *in Diſſert. de infarctu vaſorum ventriculi Baſil. 1751. Caſ. 2. p. 31. ſq.*

*) *cf.* CLAVD. GALENVS *l. c.*

XVII.

Immenſa medicamentorum farrago, qua internorum, qua externorum, iſti malo ſolvendo commendatur, *) quam recenſere tædioſum foret. Omnia tamen eorum ſua laude fraudata non cupimus.

- - - *ſit, quod vis, ſimplex duntaxat & unum*

Q. Horat. Flacc. de art. poet. v. 23.

Reliquis interim palmam ut plurimum præripiunt chalybeata **) & mercurialia ***) cum debita quidem moderatione, pertinacia tamen

men & conſtantia, adhibita, quæ quippe impacta optime ſolvere nata ſunt. Repetita per ſedes evacuantia ſi junguntur atque humorum colluviei effluxus concedatur, ſoluta etiam ex facili expelluntur, quin ipſa ſubinde natura a ſolutis ſe vindicat.

*) *v. g. ab* ÆTIO *l. c.* CLAVD. GALENO *l. c. Cap. IV.* RODERICO à CASTRO *de morbor. muliebr. medicina L. II. Cap. XXIII.* IOHANNE DE VIGO *Chirurg. L. II. c. IX. ſ. m.* 47. ASTRUC *Diſeaſes incident to Women. Cap. XII. p. 226. aliisque.*

**) ZACUTUS LUSITANUS *Opp. T. II. in Praxeos Medicæ admirand. L. II. obſ. 88. p. 62. memorabilem caſum enarrat feminæ, quæ ſcirrhoſo uteri tumore laborans in regione uteri tormina ſenſit, cuique tumor durus & indolens in pubis regione eminuit, pertinaci per duos menſes chalybis uſu ſanatæ; quo non ſola medicamenta chalybeata exhibita, ſed & omnia, quæ potu ciboque recepit, chalybe velut condita fuere. Laudant etiam* DOLAEUS & LUDOVICUS MERCATUS.

***) *Mercurialium in ſcirrhis ſolvendis efficacia ſatis inter medicos probata eſt, & infra deſcribenda obſervatione ulterius comprobabitur. Ita* BOERHAAVII & RUYSCHII, *magnorum, putamus, nominorum, auctoritate glandularum dorſalium ſcirrhus ſalivatione ſanatus eſt. cf. Ill.* HALLERI *Prælect. in* BOERHAAVE *Vol. I. p. 241. & 246.* FRID. RUYSCH. *Adverſar. Anatomic. Decas n. X. p. 24. ſqq. Similem ſanationem recenſet* STEPHAN WERZPREMI *Diſſ. 1756. Ultr. ad rhen. ſiſt. Obſſ. medicas, porro* BOERHAAVE *Præl. Tom. VI. p. 41. ait, „neminem mortalium cæcitatem, à tumore inſidente divaricationi nervi optici natam, ſanare poſſe, niſi qui cauſam cognoverit. p. 346. ita laudibus extollit ſalivationem, ut longævitatem ea quis ſibi conciliare poſſit & facere, ut corpus quaſi rejuvenaſcet; ſiquidem, hac operatione omnes humores funduntur, & profligatur, quod maligni ineſt, exe-*

 untque

„*untque de corpore adjuvante bona diæta. Frequentiſſime etiam obſervavimus, quod inter variam præparationem & cum aliis remediis miſcelam, frequentem ejus uſum & ſedulam effectuum obſervationem incurabiles morbi divino medicamine radicibus tolli, complures vero alii eodem tutius, citius atque jucundius, quam conſuetis potionibus nauſeoſis ſanari poſſint. cf. &* IUNCKER *Conſpect. medicin. Tab. 138. p. 1028. n. 7. qui mercurium dulcem tutum & elegans pro infantibus catharticum vocat.* FRIEND *Emenologia Cap. XIV. & præ reliquis.* THOMAS DOVER *The ancient phyſician's legacy to his country. p. 58. ſqq. p. 128. ſqq. In carcinomate juniori mercurialia laudat* WILH. NORFORD *Eſſay on the general method of treating cancerous tumors.*

XVIII.

Binas ſcirrhi uterini obſervationes ſubjungimus ſanati alterius, alterius in diſſecto corpore obſervati: ita duobus ſpeciminibus ſupra expoſita optime & illuſtrantur & confirmantur.

Et protinus quidem de Anatomica Scirrhi Obſervatione exponemus. Statum morboſum puellæ viginti quaſi annos natæ iſta obſervatio dilucidat. Ipſius quidem morbi, dum viveret, nulla nobis cognitio fuit, a morte autem inquirentes ab animæ curatore intelleximus eam uterum non geſſiſſe, venereo olim morbo laboraſſe, inde in phthiſin lentamque febrem incidiſſe, febrilem ignem corporis pinguedinem & plenitudinem, quibus antea cohoneſtabatur, conſumſiſſe, atque ægram ante obitum frequenter miſereque de acri abdominis dolore conqueſtam eſſe. Plura de morbi ſtatu & ſymptomatibus reſcire nobis non licuit, plena vero in omnem cadaveris habitum inquirendi facultas fuit.

Omnes conſumti corporis notas animadvertimus, tenuem habitum, artus emaciatos, faciem aridam, muſculos univerſi corporis tenues, albicantes, omentum parvum, pinguedine orbum, to-

tum

tum pellucens. Inteſtinorum vero uterique vitia inprimis memorabilia vidimus, ad concretiones ſcirrhosque maxime referenda. Omnes inteſtinorum flexuræ ut inter ſe cohærent & in anguſtum glomum colliguntur, ita & cum vicinis viſceribus coaluerunt *). Ita, ut exemplo utamur, cum lotii veſica & uteri fundo inteſtini coli flexura ſiniſtra, quam S. romanum vocant, concrevit.

Scirrhoſa quædam corpuſcula toti peritonæo ſtipata inhærent, non ſoli peritonæo abdominis cavum amplectente, ſed & in abdominis viſcera producto **). Lenticularis figura corpuſculorum eſt, aliorum circularis, aliorum elliptica. Varia diameter duarum cum dimidia linearum, duarum linearum, lineæ cum dimidia, lineæ, quin varia ſerie minor. Plura horum corpuſculorum cum ſeminibus milii vel ſinapios comparari poſſunt: plura etiam in unum acervum hic illicue confluunt. Minor eſt ipſorum craſſities, quam ob rem figura complanata exoritur cum levi ad utramque ſuperficiem eminentia. Superficiei autem peritonæi celluloſæ inhærent, alteraque ſua eminentia ipſam peritonæi tunicam ſtrictim in abdomen elevant. Non inépte itaque pro morboſis tunicæ celluloſæ peritonæi, quam pro lamina peritonæi externa habent, concretionibus haberi poſſunt. Maximam copiam peritonæum alit abdominis cavum ſuccingens, majorem etiam peritonæum, quod inteſtinorum canali eſt pro tunica externa vel communi, parciorem lien, dein hepar, parciſſimam bilis receptaculum: minora etiam hujus cyſtidis corpuſcula ſunt. Commode iſta corpuſcula ad ſcirrhoſas concretiones referuntur; ſolida enim ſubſtantia eſt, firma, indurata, quæ homogenea apparet, etiam ſi microſcopio luſtratur, flava & in centro albicans. Nihil vel ductus vel vaſis eo vel migrantis vel inde redeuntis conſpicitur. Propria quaſi tunica quodlibet corpuſculum veſtit, opaca, flaveſcens, nullo labore ab ipſo corpuſculo ſolvenda, cum per plures hebdomades vini ſpiritus corpuſculorum ſubſtantiam induraverit: iſto artificio corpuſculi tunica robur accipit, & a medio corpore ſeparari poteſt, medium vero corpus naturam magis friabilem nanciſcitur: recens corpuſculum ubivis homogeneum

geneum apparet. Cellulorum peritonæi gelatina ſpiſſata & cum ipſis cellulis connata mediam ſubſtantiam corpuſculorum procreaſſe videtur, vicinas vero cellulas comprimendo compingendoque exteriorem tunicam formaſſe.

Ejusmodi majora corpuſcula alia, globoſa copioſaque, breviſſimo pedunculo in abdominis cavum ex omni meſenterio ***) & meſocolo pendent. Hæc quidem tunicam ſuam externam ex meſenterii producta tunica nanciſcuntur, atque pedunculum meſenterii duplicatura format.

Tument etiam obſtructæ glandulæ meſenterii atque ſtipato agmine meſenterium ita obruunt, ut glandula glandulam tangat, ſibique ad latus incumbat. Variæ molis ſunt, aliæ nucem juglandem mole æmulantur, aliæ avellanam, copioſiſſimæ minores ſunt. Craſſa earum tunica eſt, cinerea, ſemipellucens, qualis ex ſpiſſata gelatina naſcitur: ipſa ſubſtantia dura eſt, friabilis velut in grana diſpoſita, vel ex ſebo congelato collecta, albicans & in centro flaveſcens. Vaſa ex meſentericis ſervientia glandulis optime conſpiciuntur, quin lumina diſtributorum in diſſecta glandula comparent. A ſpiritu vini induratarum & conſolidatarum glandularum habitus melius cognoſcitur, color in alborem magis vergit. Univerſam præterea inteſtinorum craſſorum concavam faciem glandularum ſeries tegit, piſis majoribus minoribusque comparandam: iſtæ quidem glandulæ ea lege in eadem ſerie ſeſe excipiunt, ut duæ vix glandulæ lateraliter ſibi adjaceant, ſed omnes in eadem linea inteſtini tractum ſequentes ſimplicem ordinem forment. Molliores autem ſunt hæ glandulæ, rubellæ, tenui liquore cinereo turgidæ, velut in fetu thymus, tunica rubella clauſæ: lymphaticas eſſe ultro liquet. A ſpiritu vini friabilis fit ſubſtantia, velut ſebacea.

A naturali habitu nihil in hepate diſceſſit, neque etiam in bilis cyſtide, ſi ſupra expoſita corpuscula excipiantur. Tenax bilis, craſſa, ex flavo rubella, qualis radicis curcumæ color eſt. Suetam duri-

duritiem lien paulisper excedit. Pallidi renes, cæterum immutati. Pulmones ſine medio, ſine mediis lingulis, cum pleura ubivis cohærent.

Genitalium vero mutationes præ reliquis attentionem merentur, genitalia licet externa & vagina ad naturæ exemplar formata ſint. Cum inteſtinis uteri fundus cohæret, cum veſica urinaria tota pars anterior corporis, ſimilis poſterior cum inteſtino recto. Totam reliquam pelvis capacitatem duriora corpora copioſa, craſſa cellulosa revincta replent, vaſis ſanguiferis & muſculis ita immixta, ut omnibus in unam maſſam confuſis nil organici egregie diſtingui poſſit. Uteri ſubſtantia ſueta paullum durior in fundo, ad cervicem naturalis, & eleganter arbuſculis ſuis diſtincta eſt. Ad orificii uterini partem ſiniſtram & inferiorem tumor prominet albicans, oblongus, in plures lobulos minores eleganter inciſus *). Interior uteri ſuperficies inæqualis eſt & aſpera, peculiari ſubſtantia tecta, quæ cum pulpa ex ovis congelatis facta comparari poteſt, quæque ex innumeris corpuſculis confluxit, minoribus, partim albicantibus, partim rubellis, in tomentum quaſi collectis. Eadem ſubſtantia in tubarum originem continuatur.

Diſtinctæ & conſpicuæ tubæ fallopianæ non adſunt, ſed ex utero per ſemipollicis quaſi longitudinem in dextro latere canalis, in longitudinem modice plicatus, abit, qui deformem pelvis maſſam perforando in cœcum canalem ſcirrhoſæ glandulæ inhærentem finitur. Vix in ſiniſtro latere tubæ obſcurum ad originem veſtigium ſupereſt. Neque etiam ovarii ſpecies in deformi ejusdem lateris maſſa diſcernitur; obſcura forſan rudera in cruento & ſpongioſo deformis maſſæ ſpatio latent. Totam regionem pelvis ſiniſtram corpora dicta indurata replent, quæ accuratiſſime glandularum meſentericarum ſupra deſcriptarum habitum ſpeciemque præ ſe ferunt. Oblique omnia ita in pelvi ſita ſunt, ut ſiniſtra iſta corpora ſimul ad anteriorem regionem ſpectent. Quæ vero dextra ſunt, ad poſteriora magis pertinent, cum recto inteſtino cohærentia. Parcio-

 res

res in dextro latere iſtiusmodi ſcirrhi ſunt, ſuperiorem ſolam pelvim occupantes; inferiorem farcit celluloſa quædam craſſa cum ſanguiferis vaſis, muſcularibus fibris & adipoſis globulis confuſa. In medio hoc glomere ovarium collocatur, ſuetæ molis, ſueta ſubſtantia ſpongioſa plenum vaſisque ſanguineis. Nulla ineſt corporis lutei effigies, neque etiam plures veſiculas graafianas hoſpitio excipit, ſed unicam majorem tres quatuorve lineas diametro æquantem, aliamque minorem. Verſus infimum lateris ſiniſtri corpuſculum ſcirrhoſum tuba fallopiana finitur.

*) TH. BARTHOLINUS *Hiſtor. Anat. 76. C. II. in phthiſico abdominis viſcera inter ſe cohærentia vidit. Similem obſervationem ex lenta febre enecto deſcribit* KAAV-BOERHAAVE *in Nov. Comment. Petropol. T. I. p. 370. Omnia abdominis & thoracis viſcera concreta fuerunt. Viſcerum concretionem præternaturalem Cel.* PHIL. CONR. FABRICIVS *etiam deſcribit in Sciagraphia Hiſtoriæ Phyſico-Medicæ Butisbaci & Sylloge Obſervationum Obſ. ult. p. 70. ſqq. Miræ etiam viſcerum abdominalium, quin thoracicorum, in macilento corpore cohæſiones deſcribuntur a. D.* NICHOLAS JENTY *in London Magazine. Auguſt. 1759. p. 422.*

**) *Aliquid ejusmodi deſcribitur in* THOM. BARTHOLINI *Actis Hafn. Vol. III. Obſ. 64. coalita nempe inteſtina, peritonæum innumeris ſcabris tuberculis obſitum, varii ſcirrhi, hydropes putredines &c.*

***) *Meſenterii, meſentericarumque glandularum ſcirrhi variæ formæ paſſim deſcribuntur, e. g. apud* STEPH. BLANCARDVM *Anatom. pract. ration. Obſ. 37. p. 85.* FRID. RUYSCH. *Obſ. Anatom. Obſ. XIX. p. 23.*

*) *cf. Loca* HIPPOCRATICA *ſupra ad §. XI. excitata de oſculis exaſperatis & accretis callis.*

XIX.

XIX.

Hactenus adumbrata deſcriptio in dubio non relinquit, veneream colluviem depoſitam ſpiſſatamque eſſe in celluloſa peritonæi & pelvis, in lymphaticis meſenterii, meſocoli & pelvis, glandulis atque in utero, in quo acrimonia rodens internam ſuperficiem exaſperavit. Abunde etiam perſpicimus colluviei abundantiam plures partes ſimul invadere, atque ovaria, tubas, uterique habitum naturalem deſtruendo ſterilitatem inducere, permanentem eam, ſcirrhoſæ licet feliciori cura concretiones reſolvantur. Quis enim medicamentis tubas & ovaria corpori reddet? Pulmonum cum pleura concretio, quales in plerisque phthiſicorum cadaveribus notantur, eidem colluviei debetur. In toto corpore ulceris nulla veſtigia fuere: memorabile ergo hæc obſervatio phthiſeos ſine ulcere *) exemplum ſiſtit, ex ſolis ſcirrhoſis concretionibus ſubnatæ.

*) *cf. Ill. Facult. Primarii* GEORG. GOTTL. RICHTERI *Progr. de phthiſi ſine ulcere. A.* 1744.

XX.

Obſervationum altera *ſanatum uteri ſcirrhum* recenſet. Femina octo & viginti quaſi annos nata, proceri corporis, ſanguinis ſuccorumque, cum valeret, pleniſſima, decimo & octavo anno ætatis puerum enixa erat. Abhinc eo tempore fluore albo uterino, cum nulla mali venerei ſpecie vel menſtruorum ſuppreſſione laborans ſterilem uterum geſſit hyſtericisque affectibus vexatum. Superioris anni vere menſtrua cum albo fluore ſuppreſſa, excretumque ſub ſecundi menſis finem ſanguineum coagulum conceptionis ſimulacra fecerunt. Inde vero ab eo tempore febris lentæ inconſtantem moroſitatem perpeſſa eſt, frigus æſtuumque volatiles, melancholica pathemata, ſitim aliave cum doloris ſenſu in pelvis & iliorum regione. Medicaſter in conſilium adhibitur calidioribus medicamentis malum valdopere auxit. Sub finem Maji PRÆSES morbi rationem cognoſcit ex ſymtomatibus æque ac loci affecti exploratione.

Lenta febris augmenta capit, frequenter horrore & frigore corpus univerſum corripitur, quos ardores volatiles viciſſim, maxime faciei, excipiunt. Inquietudo ægram perpetim agitat. Sæpius reſpiratio propemodum ceſſat, ut ſe ſuffocatum iri metuat; ſimulque, dum ægrius ſpirat, ſpaſticos dolores per univerſum corpus ſentit, qui vel vocem intercipiant, rigidum & immobile corpus tactumque cutis moleſtum & dolentem reddant. Situm ſupinum melius fert ægra quam erectum. Parca alimenta recipit, neque enim eadem appetit, neque ab iisdem reficitur; languet appetitus & corpus olim obeſum emaciatur. De ſenſu ponderis, quod ad pelvim refert, conqueritur; corpus in pelvim deſcendere, pelvim replere, quin mobile eſſe, excretionem alui lotiique impedire & doloris plenam reddere animadvertit. Digitus explorans orificium uteri durum & in duo labia integerrime diviſum deprehendit. Pone orificium tumor uteri durus integram pelvim replet, in ſuperiorem pelvis aperturam longe deſcendit, veſicam urinariam & inteſtinum rectum comprimit. Orificium tactu preſſum dolet. Nihil neque menſtruorum, neque albi liquoris ex utero profluit. Per integrum menſem Junium rotulas chalybeatas ingenti copia cum lactis ſero & herbarum recentium, beccabungæ, chærefolii, hederæ terreſtris, lactucæ, naſturtii aquatici ſucco pro medicaminibus recipit. Aliquoties licet ſeri vis de die alvum laxet, morbus tamen immutatus manet, quin augetur.

Doloſas quidem morbus tectasque inſidias ſtruit hoc menſe; uteri tumor imminui videtur, ſupra pelvim in abdominis cavum aſcendere, dolore tactus liberari, quare ſenſus in pelvi ponderis ceſſat, facilis ingreſſio fit, inteſtinum rectum & veſica ſine labore evacuantur, cum appetitu nutrimenta ingeruntur.

Minus vero tutas inducias eſſe per binos modo dies, ſextum menſis ſeptimumque defluens ſanguis parcus, & inſequentia ſymptomata ſuffocantia & ſpaſtica ea nocte, quæ inter ſeptimam & octavam diem media eſt, monuerunt. Neque etiam conſtantia fue-

re gaudia. Vigeſimo enim & ſeptimo die parum ex genitalibus ſanguinis profluxit. Inde vero aperto rurſus agmine hoſtis invaſit, augetur lenta febris, vagi paroxyſmorum errores in typum ordinemque figuntur, quotidie horis veſpertinis horrorem æſtus, æſtum ſudor excipit, tandem & ſicca tuſſis morbo adjungitur, reliquaque ſymptomata exacerbantur; præ lumborum dolore & difficiliori ingreſſu lecto adfigitur, ponderis tenſionisque in pube ſenſus acuitur, veſica & rectum inteſtinum ægerrime deplentur, genitalia lumbique ſubinde punctionis dolorem derepente ſentiunt.

Sub initium itaque Iulii medicationis conſilium PRAESIDE mutatum eſt. Per tres hebdomades quotidie matutino tempore alvus ſoluta eſt, primum electuario mundificante, dein altera totius intervalli periodo ob electuarii aliorumque medicamentorum tædia pilulis jalappinis cum refracta mercurii dulcis doſi. Simul quolibet tertio die tempore veſpertino dulcem mercurium recepit. Prima decem, ſecunda quindecim, reliquæ viginti granorum doſes fuerunt. Ita cum optimo ſucceſſu uterus reſeratus eſt. Vigeſimo & primo menſis Iulii ſequentibusque diebus albicans lympha e genitalibus effuſa eſt: a die vigeſimo & quinto lympha mutatur in copioſum ſanguinem, cujus quidem quantitas ſenſim licet minuatur, ad medium tamen Auguſti menſis modicum profluvium, morbumque ſolvens protrahitur. Non ſolum enim benignus nulloque dolore turbatus fluxus fuit, ſed & omnem morbum abſtulit: ſub ipſum fluxum omnis lentæ febris ſimulacrum deletum eſt, omnis dolor ſopitus, omnia ſymptomata pulſa, ipſa femina cum ſanitate, ſi modicus uteri tumor permanensque ſterilitas excipiantur, in conſtantem gratiam rediit: is etiam levis tumor rariori a fluxu iſto critico mercurialium uſu penitus ſolutus eſt. Sub initium jam Septembris viribus denuo valet, carne & pinguedine ut olim tecta eſt, indeque etiam menſtruo profluvio recte purgata. Sequenti anno, ſive hac, qua hæc ſcribuntur, tempeſtate, inconcuſſa ſanitas manet. Ovariorum forſan, ut ſuperiori obſervatione, læſio permanente ſterilitate conceptum ab utero arcet.

EXPLICATIO FIGURARUM

PRIOREM OBSERVATIONEM ILLUSTRANTIUM.

Fig. I.

Externa genitalia, vagina & uteri cervix a ſueta forma non recedunt.

Sectio uteri vaginæ & externorum genitalium longitudinem ſequitur. Verſus latus ſiniſtrum uterus eo ſcopo depreſſus eſt, ut ovarium dextrum appareat.

a. *Labia ſinus externi.*

b. *Clitoris.*

c. c. *Nymphæ.*

d. *Urethræ orificium cum ambiente colliculo.*

e. e. *Sinus mucoſi.*

f. *Vaginæ columna ſuperior ſ. anterior.*

g. *Vaginæ columna inferior ſ. poſterior.*

h. *Anterior cervicis uteri columna.*

i. *Si-*

i. *Similis poſterior.*

l. *Spatium circulare inter os uteri in vaginam propendens & vaginam ipſam medium.*

Præ reliquis vero partibus memoratu dignæ ſunt.

A. *Membrana ad vaginæ oſtium poſita, quæ ex deſtructo hymene reſidua eſt: parum licet promineat, continua tamen, neque interrupta procedit, neque in caruncùlas diviſa.*

B. B. B. B. B. *Hisce in ſedibus ſectus eſt uterus, quo melius interiora compareant.*

C. *Interna uteri ſuperficies, aſpera & inæqualis.*

D. *Tubæ Fallopianæ ſiniſtræ initium.*

E. *Tuba Fallopiana dextra.*

F. *Deformes regionis ſiniſtræ maſſæ ſcirrhoſæ.*

G. *Spatium cruentum & ſpongioſum.*

H. *Confuſa regionis dextræ ſubſtantia.*

I. *Ovarium dextrum.*

L. *Major veſicula Graafiana perſciſſa.*

M. *Similis minor.*

N. *Pars ſuperficiei externæ uteri.*

O. *Scirrhoſa dextri lateris glandula, in quam tuba finitur.*

FIG. II.

Fig. II.

Situs orificii in icone ita inverſus eſt, ut dextræ rimæ plaga ad ſuperiora ſpectet, ſiniſtra ad inferiora.

A. *Os uteri prominens.*

B. B. *Superior vaginæ portio.*

C. *Rima orificii transverſa. Hac parte dextra rimæ plaga eſt.*

D. *Hac parte ſiniſtra rimæ plaga eſt, ſimulque apparet tumor orificii albicans & in lobulos diſtinctus.*

DECA-

DECANVS ORDINIS MEDICI

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

I. G. R.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE MEDICINAE CANDIDATI

GEORGII FRIDERICI PAPEN

D. XXXI. JUL. A. CIↃ IↃ CCLXII.

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA OBSERVATIONE

DE

HYDROPE OVARII.

M

OBSERVATIO

DE

HYDROPE OVARII.

HISTORIA MORBI.

Primum vterum cum nobilis matrona quinto matrimonii anno gereret, ex venæſectione latentibus ſuppurationis, & paronychia aliquoties declaratis, moliminibus ſe exſolvit. Poſtquam vulnuſculi regio inflammata ſenſim tumuerat, reſolventibus, ſpirituoſis, aliisque unguentis ſalutarem naturæ opem manu medentes ita coërcuerunt, ut, per omnem ſanguinem diſperſa futura puris gelatina, graviſſima decem hebdomadum febris accenſa ſit, quam miſera prolixiſſimo brachii ulcere, crebris pertuſi foraminibus, vix eluctata, & altera a recuperata ſanitate hebdomade puerum partu, tremoribus præcipitato; enixa eſt, cum ſequentibus puerperii ægritudinibus variis. Mox ab illo puerperio elatum denuo abdomen novæ conceptionis ſuſpicionem ſuſcitavit, extinctam, quum lento tumoris incremento corporis marcor ſuccederet, in facie ephelis, impetigo & adeo larga papularum ſeges, ut tota quandoque faciei cutis exaſperaretur. Ita quatuor annos inter irregularem parcumque menſtrui ſanguinis fluxum (quæ inde a pubertate jam obſervata eſt fluxus anomalia & parſimonia), variamque ægritudinem tolerabilem vitam transegit. Tandem æſtate quarti a puerperio anni in veram ἀγρίαν mediæ inter os & naſum papulæ effloruerunt, cum aucto multum abdominis tumore. A veſicatoriorum ulceribus ſubinde obtuſa malorum acies eſt, exaſperata vero a lactis ſero. Seneſcente

illo anno exareſcunt papulæ, decidunt, lævigatur facies, ulterius abdomen inflatur, & in acutum morbum Novembris medio, quum parum pridie menſtruus ſanguis profluxiſſet, valetudo accenditur, laſſitudine, appetitus defectu, horrore, ructibus, vomendi conatibus, ipſa emeſi bilioſa, abdominis, ad ſcrobiculum usque cordis tenſi, magis inflati, duri, a tactu & in dorſi regione dolentis cruciatibus, hippocratica facie, *) & ſiccato menſtrui ſanguinis fonte periculum minitantem. Abdominalis febris, ex inflammatione ſpasmoque natæ comites ſequuntur, tenuis debilisque pulſus, frequens & duriuſculus; ſitis, vini antea plerumque repudiati nunc autem ventriculo grati, ructusque, ut reliqua potulenta, non moventis, inſolitum deſiderium, ſicca lingua, tenuis, contracta, roſea, cum duabus ſtriis albicantibus, ex apice ad radicem ductis, agrypnia, inquietudo, anxietas præcordiorum cum frontis ſudore; alvus a tertio die laxa cum animi deliquio, virium fractura, mortis fiducia: diri abdominis cruciatus, hypochondria præcipue dextra torquentes & ſub ſupino ſitu tolerabiliores, ſub erecto aucti, parum quarto die molliuntur, vomendi conatibus altero jam die conſopitis. Univerſum quidem abdomen expanſum & aëre quaſi inflatum eſt, ſed in latere dextro diſtinctus tumor molliuſculus tangitur. Inde ad ſeptimum diem vis morbi decreſcit, & in lentam febrem mitioresque ſenſim dolores tranſit, cum placido per intervalla univerſi corporis ſudore & ſiccata ſenſim diarrhœa gelatinoſa. Lætus, cum rariori pulſu & tenui, modeſtæ febriculæ progreſſus, virium creſcens robur, ciborum naturalis appetitus dolorumque lenimen, ancipitem, cum conſtanti abdominis tumore, ſpem fecerant. Ceſſat ſimul inſolitum illud vini deſiderium & in lactis appetentiam mutatur; rarioribus brevioribusque anxietatibus breviſſima & rara tuſſis adjungitur, cum modica cephalalgia, ea ratione aucta, qua abdominis dolores ſedantur. Lateri nunc ſiniſtro ſoli incumbit ſine incommodo. Die etiam decimo & ſeptimo ſuccedunt graves, & cum

*) HIPPOCRATES *Coacar. Prænot.* 212.

cum ſicca tuſſi periodicæ in ſcapulis, præcipue dextra, & artubus tenſiones, & dolens tumor articuli oſſis metacarpi cum dextræ manus indice digito; antea jam volæ manuum plantæque pedum arſerant faucesque exaſperatæ erant. Lentæ febriculæ viciſſitudo ea eſt, ut dies impares graviores ſint, tolerabiliores pares, remiſſiones matutinæ, veſpertinæ, cum frigore, calore & ſuperiorum partium ſudore acceſſiones. Subinde etiam interdiu friget & mane. Urina omni abhinc tempore rubra, & flocculis mucoſis dives, modo præter gravem nubeculam non turbatur, modo ex illa nubecula obſcuratur, & ſine ſedimento limoſa fit, cum cœrulea cuticula vitro adhærente, modo, leve licet ſedimentum lacteumque deponat, cum adoleſcente morbo copioſius graviusque, turbida manet. Alvus cum dolore laxa aliquoties de die dejicit gelatinoſa & muci lacinias. Qui hactenus hypochondria dextra occupaverat tumor trigeſimo die ad ſiniſtra magis inclinaſſe viſus eſt.

Multum jam lætabatur, & per domum externa ſpecie convaleſcens obambulabat, cum inſidioſum malum in vehementiſſimum furorem & præceps fatum ageretur. Paſſa refrigerationem, cum alter febris lentæ menſis finiretur, modicos a cœna abdominis dolores ſentit, qui ſub mediam noctem adeo evehuntur, ut planctus ejulatusque cohibere nequeat. Summæ anxietates & per frequentes paroxyſmos accedentes tum ſpontanei, tum ab aſſumto potu, vomendi conatus, peſſimique atræ bilis *) & ſanguinis vomitus cum frigido ſudore, borborygmis, alvo pertinaciſſime clauſa, minimo, contracto, celeri, & frequentiſſimo pulſu, hippocratica facie,

*) HIPPOCRATES *Coacar. Prænot. 68. Febrium initio ſi atra bilis ſurſum aut deorſum prodeat, lethale eſt. cf. & Aphoriſm. Sect.* IV. *n. 21. 22. 23. 25. Quibus per morbos acutos bilis atra, aut velut ſanguis niger ſubierit, ii poſtridie moriuntur it. Sect.* VII. *37. Prædict. Lib.* I. *62.*

cie, fractura virium, gangrænæ periculum indicant. Sitis ſimul, cum renato vini deſiderio, urget. Rebellia ſequuntur ad omnia medicamenta & præcipitia malorum augmenta, animi deliquia, inquietudo, corporis jactatio tanta, ut vel lecto exſiliat pedesque projiciat, breviſſima & peranxia reſpiratio, extremorum frigus, pulſus ſilens, cum brevi ſopore. Conſtans ad ultimum halitum & deliriis non turbata mens, elapſis triginta ab impetu horis, quinto menſe ætatis anni trigeſimi, poſt conſuetas ſpiritus concuſſiones, placide ſuis vinculis ſe exſolvit.

Abdominis dolores per omnem morbum panis cruſtæ cum vino & aromatibus impenſe leniebant, primæ febris vim & vomitus minerale acidum, inde nitrata camphora & modica laudani doſis. Nihil vero vel horum vel aliorum medicamentorum abdominis tumorem diſſipaverat.

Sectio Cadaveris.

1. Emaciatum corpus. 2. Fuſcus & fœtidiſſimus liquor ore effluxit. 3. Abdomen tenſiſſimum eſt, & explanatus umbilicus. 4. Gangrænam peritonæum & omnia abdominis viſcera occupantem, quantam nunquam antea vidi, miratus ſum. Inteſtina nigra, cum perpetua vaſorum lividorum pictura, eo lividiora, quo ſuperiora. 5. Hepar conſuetæ molis, in ſuperficie convexa & in parenchymate ex flavo lividoque colore variegatum, totum in gibba, præcipue in ambitu veſiculæ felleæ, lividum. Continet tenuem ſanguinem. 6. Pancreas perdurum. Lien & renes non mutati a conſueto habitu. 7. Ventriculus minus, quam inteſtina, livet. Aëre impenſe tumet canalis alimentaris; colon transverſum cum ventriculo ultra duplam capacitatem expanſum pone coſtas ſpurias tumori mox deſcribendo incumbit, preſſis in latera, præcipue dextrum, reliquis inteſtinis. 9. Inflammatione & gangræna tacta veſicula fellea, craſſam, inodoram, ex fuſca viridem bilem comprehendit, maſſulas cinereas & quinque calculos, leves, oſſiculis carpi ſimiles

les, irregulariter cubicos, obſcure flavos, ponderis ℥iß. 10. Sanus uterus eſt.

11. Ex uteri angulo ſiniſtro per tenuem pedunculum cœcus ſaccus producitur, qui oblique verſus latus ſiniſtrum ad ſcrobiculum cordis aſcendit, ultra pedem latus, & anteriore ſuperficie peritonæo adhæret. 12. Duplex autem ſaccus eſt: anterior, ſuperior & amplior fuſcæ aquæ fœtentis, & gangrænoſæ libras ſaltem x- ad xii. comprehendit, cum ſolidioribus maſſulis mucoſis, & ſabuloſis, ad fundum ſubſidentibus. Peculiari tunica interna veſtitur. 13. Minor ſaccus poſterior, inferior, & pedunculum dictum exigens, liquoris pariter fuſci, craſſi, ſanguineo-gangrænoſi ℔. v. continet, & ad internam ſuperficiem productionibus ſcirrhoſis exaſperatur. Inter utrumque ſaccum craſſus paries intergerinus eſt. Complectitur hic ſaccus quatuor veſicas, tenuioribus membranis formatas, variæ molis, tres ſaltem pollices amplas, gelatinoſo liquore, ultra ℔. iv. gravi, refertas. 14. Vidi præterea minorum veſicarum, numero ſaltem L, congeriem, inter ſuperiorem ſaccum & dictas quatuor veſicas locatam in dextra ſede, quæ ſimilibus tunicis veſtiuntur, ſimilemque liquorem fuſcum fovent, eo tenaciorem magisque gelatinoſum, quo minores ſunt: a pollice ad lineam uſque diametri expanſarum æſtimari poſſunt. 15. Adeſt & alius minorum veſicularum gelatinoſarum acervus, velut morboſum ovarium, verſus ſiniſtrum latus. 16. Externa ſacci membrana craſſa paſſim ad pollicem eſt, cum cœcis ad ſuperiorem ſedem inter lamellas cavis, fuſci liquoris plenis. 17. Sacci ſuperficiei inferiori tubæ reliquiæ, duræ, ſine medio canali in ligamentum mutatæ adhæreſcunt.

18. Morboſum etiam eſt ovarium dextrum, magnum, durum & profundis ſulcis in colliculos diviſum. Durities illa tum craſſioris tunicæ eſt, tum parenchymatis. Colliculi magnas veſiculas numero ſaltem L, liquoris tenuis, rubelli & liveſcentis plenas, quarum diameter varia a. 2. ad 5. lineas, tegunt. Habitus cæterum veſicularum a conſueto non differt.

Epi-

Epicriſis.

1. Rara morbi ſpecies eſt, cuius obſervationes quasdam recenſent *Bonetus* in ſepulchreti L. III. Sect. XXI. Obſ. LV. n. 13. & 16. & LVI. *Martin Schurig* in Muliebrium Sect. III. Cap. III. §. 8. & §. 36. *Laur. Heiſter* in Mediciniſchen, Chirurgiſchen & Anatomiſchen Wahrnehmungen, Obſſ. 357. & 364. *Vandremonde* Recueil. T. I. P. VI. S. II. obſ. 2. *frankiſche Sammlungen* P. III. St. XVIII. n. 1. aliique. *Ill. Halleri* Tom. IV. Diſput. ad Morbor. Hiſtor. & Curat. facient. *Io. Iac. Fehr.* Diſſ. ſiſtens virginem hydrope utriusque ovarii cum aſcite conjuncto laborantem. Argent. 1762.

2. Repreſſa ſuppurationis molimina ad internum & ex conceptione debilitatum viſcus, ovarium nempe, delata procul dubio ſunt. Mala ſane enumerari nequeunt, quæ ex ſuppreſſis, ab ardelionibus, naturæ moliminibus in ſalutaria cutis ulcera quotidie generantur. Multum tamen de reſolutis & reſolvendis ſpontaneis iſtis inflammationibus gloriantur. Plures etiam ægri perirent, niſi ſubinde unguentis & fotibus natura major eſſet.

3. Conceptionem latens in ovario vitium differre poteſt, maxime ſi menſtrui fluxus anomalia & parſimonia junguntur.

4. Immaturam mortem non ſemel in feminis notavi, quibus partus fuere tremoribus præcipitati. Debilium nervorum, facile irritabilium, ad ſpaſmos indeque naſcentes gangrænas aptorum, indices procul dubio ſunt iſtiusmodi partus.

5. Chronicum ovarii hydrops malum eſt, quod per plures annos, ſine medicamentorum fructu, ægræ odioſum & moleſtum eſt; velut ex collectis obſervationibus diſcimus & bene notavit *Lieutaud* in Precis de la medecine pratique. Sed vario exanthemate cutaneo ſolet ſibi proprias decernere natura vindicias. Alia matrona jam

per

per XV. annos hydropicum, ut opinor, ovarium gerit, ſatisque tolerabilem vitam, variis licet ægritudinibus interpolatam, tranſigit, idque beneficii perpetuæ fere ſcabiei frequentiſſimisque furunculis, quos, ſi audirentur ejus querimoniæ, ſiccarem, debet.

6. Diſtinctus in alterutra ſede abdominis tumor, a contento liquore molliuſculus, & ex uno latere in alterum translatus, contentam in mobili cyſtide aquam indicare poteſt; ex ovario autem cyſtidem prognatam eſſe, lateralis ſitus, menſtruorum generationisque turbæ ſubmonent.

7. Tympanitica abdominis durities nunquam non, ex meis obſervatis, aëre expanſum canalem alimentarem tegit. A morboſo ſacco quando nervi premuntur, debilitatæ canalis tunicæ expandenti aëri minus reſiſtunt.

8. Veſiculas, quæ lento gradu in ſaccos aquæ plenos adoleſcunt, hydropem ovarii facere deſcripta æque, ac excitatæ obſervationes docent. Primum morbi ortum ovarii dextri veſiculæ illuſtrant.

9. Qua ratione morboſi in corpore humano ſacci creſcunt, tunicæ fere indurantur & craſſeſcunt.

10. Vix, puto, ſine gravi hepatis vitio, chronica corporis labes eſt; ſæpe etiam fellei calculi, præcipue in feminineo corpore, coëunt. cf. Progr. de ulceribus utero moleſtis. p. 15. n. 6. Ex variegato autem colore morboſum hepar cognoſcimus.

11. Preſſa vaſa nervique febrem accendunt acutam, per natam inflammationem & dolorem. Ita collectus humor excoquitur, ad internas partes facta metaſtaſis augetur, & lenta febris periculorum inducias dat. Tandem reſolutis per febris diuturnitatem humoribus

a leviſſima cauſa cum febris reliquorumque ſymptomatum vehementia letalis gangræna oritur.

12. Inſolitum vini deſiderium & facilem potum in febribus, quæ humorum ἔκλυσιν alunt, frequentiſſime obſervavi. Quid quod in hydrophobias initiis, quum aquoſa potulenta ægri jam horrent tremuntque, vinum, pane ſaltem exceptum, deglutiunt. cf. Journal des ſcavans Decembr. 1751.

Fig. 1.

Fig. 2



Kaltenhofer del. et ſc. Gött.

Fig. IV.




Fig. V.




Fig. III.



Fig. I.



Fig. II.



J. Striedbeck ad nat. del. et ſculpsit Argent.